

DISSERTATIO INAUGURALIS
EXHIBENS
SISTEMA TRADITIONUM
DIVINARUM
CONTRA
PROTESTANTES,

QUAM
UNA CUM SELECTIS EX UNIVERSA THEOLOGIA
THESISIBUS
AD
MAJOREM DEI TRIUNUS GLORIAM
DEIPARÆ VIRGINIS
OMNIUMQUE SANCTORUM
HONOREM
IN ALMA ELECTORALI SEMPERQUE CATHOLICA
UNIVERSITATE MOGUNTINA
PRO SUPREMA DOCTORATUS THEOLOGICI LAUREA
ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT
GEORGIUS WEISS,
EPISCOPIO TUBERANUS,
ARCHIEPISCOPALIS SEMINARI AD S. BONIFACIUM
ALUMNUS CLERICUS, Ss. THEOLOGIÆ BACCALAUREUS
BIBLICUS ET FORMATUS
IN AULA ACADEMICA MAJORE
DIE III. SEPTEMBRIS MDCCLXXIX.
Horis ante & post meridiem consuetis.

MOGUNTIAE,
Ex Typogr. Aulic. Acad. privileg. apud Joan. Jos. Alef, Hæred. Hæffner.

DISSECTATIO INAUGURALIS
 EXHIBENS
 SYSTEMA TRADITIONUM
 DIVINARUM
 CONTRA
 PROTESTANTES

*Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus tradi-
 tionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt
 fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt. Neque hæ,
 quæ Hiberis sunt; neque hæ, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in
 Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto; neque hæ, quæ in Lybia;
 neque hæ, quæ in medio mundi constitutæ. S. Irenæus lib. 1. ad-
 versus hæres. cap. 10.*

PRO SUPREMA DOCTORATUS THEOLOGICI LAUREA
 ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT
 GEORGIUS WELLES
 EPISCOPUS TUBERANUS
 ARCHIEPISCOPALIS SEMINARI AD S. BONAVENTURAM
 ALUMNUS CLERICUS, s. THEOLOGICÆ BACCALARIUS
 BIBLICUS ET FORMATUS
 IN AULA ACADEMICA MAJORE
 DIE III. SEPTEMBRIS MDCCLXXIX
 Horii ante & post mensuram cognovit.

M O G U N T I A,
 Ex Typogr. Aulic. Acad. privileg. apud Jean. Jos. Alst. Hæred. Læstner.



DISSERTATIO
EXHIBENS SYSTEMA TRADITIONUM
DIVINARUM CONTRA PROTESTANTES.

PARS I.

EXISTENTIA TRADITIONUM DIVINARUM.

§. I.

Duo fontes, ex quibus salubres fidei & morum veritates haurit Ecclesia catholica, scriptura sunt & traditio. Hæ sunt duæ columnæ, quibus totum religionis revelatæ ædificium superstructum innititur. Sicut autem hæretici scripturæ auctoritatem immoderate extollunt; ita traditionis dignitatem & firmitatem penitus labefactare conantur. Sentiunt nimirum filii degeneres, traditiones lapidem illum Lydium esse, quo perversa eorum doctrina probantur simul & reprobantur. Hinc jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis traditiones varii hæresiarchæ impugna-

Adversarii
traditionum.

A pugna-

pugnarunt (a). Nostros temporibus Traditionum hostes acerrimos communiter se profitentur Protestantes, quorum systema statim discutiemus; postquam genuinam traditionis ideam ejusque divisionem præmiserimus (b).

§. II.

Definitio
traditionis.

Traditio, ut Wallenburchici definiunt (c), denotat idem, quod testimonium. In hac definitione magis ad actum tradentis, quam ad rem traditam respiciunt. „Sicut enim, ajunt, testimonium seu attestatio idem est, quod ipsius testis asseveratio; ita traditio idem est, quod actio tradentis. Et quemadmodum attestatio totam vim suam habet ab attestante: non aliter traditio a tradente. „ Quando vero rem traditam spectant; in genere per traditionem intelligunt doctrinam seu institutionem, ab uno alteri communicatam sive scripto sive non scripto scil. viva voce. Hoc sensu sumitur a gentium Apostolo, dum Thessalonicenses admonet: „Fratres state & tenete traditiones, quas didicistis sive per Sermonem sive per epistolam nostram „ Thess. 2. Sed hæc de-

(a) De Valentinianis & Marcionitis refert Irenæus lib. 3. adv. hæres. cap. 2. Donatistas soli semper inhæsisse scripturæ Testis est Aug. lib. de unit. Eccles. cap. 19. Arianos rejecisse traditiones testatur Hilarius in libr. contra Constant. Aevianos Epiphanius hæres. 75. Eunomianos Basilius libr. de Spirit. S. cap. 27. & 29. De Nestorio, Eutyche, Dioscoro constat ex Basilio Ancyrano in Confess. cathol. quam recitavit in Synod. VII. Act. 1. Vulgaris erat Pelagianorum cantilena: „Credimus quod legimus, & quod non „ legimus, nefas credamus adstruere. „

(b) Protestantium errorem quidam e Græcis modernis tuentur; sed hi vel ipsa Ecclesiæ suæ fide, quæ ex symbolis fidei & monumentis PP. relucet, confutantur. Imo ipsi Episcopi Græci in ordinatione fidem traditionum divinarum profiteri debent. vid. Jacob Goar in ritual. Græc. pag. 309.

(c) Tract. Sext. de testim. Sect. 1.

definitio nimis vaga est, cum ipsam scripturam comprehendat. Pressius hoc vocabulo denotatur doctrina seu institutio, quæ ab auctore saltim, unde emanavit, scriptis non fuit consignata, sed viva voce de aure ad aurem longa temporis serie fuit transmissa. Hinc traditio ad scopum nostrum est doctrina fidei vel morum, sive institutio sacra, quæ in libris canonicis vel plane non, vel saltim clare non continetur, ab iis, qui illius notitiam habent, aliis communicata, sive id scripto fiat, sive viva voce (d).

§. III.

Traditio varie dividitur. Spectata enim ratione auctoris Divisio
tradit. ra-
tione au-
toris. dispescitur in divinam & humanam. Humana dividitur in Apostolicam & Ecclesiasticam (e). Traditio divina est doctrina seu insti-

A 2

(d) Traditio differt a consuetudine, moribus & observantia. Traditio enim expressæ Christi, Apostolorum, aut Ecclesiæ institutioni, consuetudo diuturnis fidelium moribus, tacito plerumque Ecclesiæ consensu probatis innitur, cujus species quædam sunt mores seu actiones quædam pro fidelium consilio citra animum introducendæ obligationis susceptæ, usuque continuo confirmatæ, quæ quidem si nihil contineant, quam quod lege aut consuetudine jam vim juris obtinuit, observantia ecclesiastica adpellatur. vid. Zallwein. princip. jur. Eccles. Tom. II. Q. II. C. III. §. II. Riegger instit. jurisprud. Eccles. Part. I. §. IV. de tradit. §. CCXXV. Luydl instit. Theolog. moral. Dissert. II. de verb. Dei non script. cap. unic. §. IX,

(e) Apostolicas multi in mere apostolicas & divine-apostolicas partiri solent. (vid. Collet. instit. Theol. Tom. I. in append. de loc. Theol. §. 1. Annat. in apparatu ad Theolog. positiv. lib. III. Art. 1. Zallwein lib. cit. §. III) Illas vocant, quæ Apostolis, ut Ecclesiarum suarum rectoribus originem debent; has contra, quæ a Christo immediate Apostolis, & per hos Ecclesiæ viva voce traditæ ad fideles, & sic ad nos usque transmissæ fuerunt. Verum æquis non videt hac divisione auctores traditionis cum modo eam propagandi confundi. Enim vero modus hic ad rem nihil facit, neque

institutio, quæ Deum habet auctorem, scripturis canonicis non demandata, sed viva voce aut aliis fide dignis monumentis ad nos usque translata (f). Humana est, quæ ab auctoritate humana promanans ab uno ad alterum fuit propagata. Hujus auctores vel sunt Apostoli, vel horum in regenda Ecclesia successores. In primo casu adest traditio apostolica, in secundo traditio ecclesiastica (g).

§. IV.


Ratione
materiæ.

Ratione materiæ traditio, alia est fidei, alia morum, alia disciplinæ, alia ritualis seu ceremonialis. Prima respicit credenda

que discrimen aliquod inducere potest, alia quoque traditiones Ecclesiasticas divino-ecclesiasticas adpellare deberemus quandoquidem Ecclesia quoque traditiones divinas ad posteros propaget conf. Riegger lib. cit. §. CCXVII.

(f) Traditio divina alia est V. T., & alia N. T. Prima complectitur omnem doctrinam a condito mundo, sive etiam in lege mosaica nominibus a Deo communicatam, sed nondum scripturis canonicis insertam, vel saltem non clare in illis contentam. Tales doctrinæ erant dogmata de adventu Messia, de remedio peccatum originale tollendi, de immortalitate animæ, de statu felici vel infelici post hanc vitam æternum duraturo, de numero & divinitate librorum canonicorum &c. Traditio N. T. continet omnes doctrinas seu speculativas seu practicas a Christo vel post ejus ascensum a Spiritu S. Apostolis revelatas, & ab his continua serie ad posteros derivatas, in scriptura vel plane non vel saltem clare non expressas. Ad has respexit Trident. Sess. 4. de can. script.

(g) Traditiones apostolicæ sunt: institutio quadragesimæ & quatuor temporum, observatio diei dominicæ loco Sabbathi, trina immersio olim in baptismo adhiberi solita, chrismatis renovatio annis singuli facienda. Traditiones ecclesiasticæ sunt: solennitas & observantia festorum, abstinentia a carnibus, ovis & lacticiis, formatio crucis, asperio aquæ lustralis, antiq. usus candelarum, cinerum, palmarum & similibus benedictionis usus.



denda (h), secunda versatur circa regulas actionum nostrarum, tertia prescribit ea, quae conducunt ad doctrinam fidei vel morum in Ecclesia conservandam (i), quarta occupatur in ritibus & ceremoniis, quibus cultus divinus est peragendus & res sacra tractandae.

§. V.
Si modus & ratio promulgationis attenditur, alia est necessaria, alia libera, alia temporalis, alia perpetua, alia mutabilis, alia inmutabilis. Prima est, cujus observantia ex praecepto seu divino seu Ecclesiastico est necessaria, secunda nullam necessitatem moralem aut obligationem per se imponit. Tertia est, cujus ratio certo duntaxat tempori est adligata, nec semper durat (k). Quarta causam & finem habet perpetuo duraturum (l). Quinta mutari potest, si causa progrediens adfit. Sextam nunquam variare licet, etiam temporum & locorum circumstantiis mutatis (m).

Ratione modi promulgandi.

A 3

§. VI.

(h) Traditiones fidei semper sunt traditiones divinae, continent enim illa, quae ad substantiam religionis nostrae pertinent, unde aliam originem habere nequeunt, quam divinam.

(i) Traditio de observantia jejunii quadragesimalis inservit ad praeceptum evangelicum de carnis mortificatione observandum.

(k) Tali fuit observatio legalium abstinencia a subfocato & sanguine. Finis enim horum erat temporaneus scilicet ad judaeos & gentiles facilius Ecclesiae conciliandos.

(l) Huc spectant materiae & formae Sacramentorum, traditio de aqua calici miscenda &c.

(m) Traditiones divinae omnes inmutabiles sunt, continent enim ipsissimum verbum Dei, hoc autem aequae parum, ac ipse Deus alterationi obnoxium est.

§. VI.

Alia tradi-
tionis
species.

Aliam traditionis speciem constituunt vulgares & piæ traditiones. Vulgares juxta Zallweinium sunt, quæ ex pia hominum credulitate, nullo fide digno instrumento fundata, ingenii humani inbecillitate, simplici aliquoties pietate, vel omnino ex malitia hominum miracula, aliaque gesta fingentium ortum suum trahunt (n). Piæ sunt opiniones circa res præcipue cultum externum spectantes pia & vetusta credulitate innixæ. Hæ promiscue omnes nec admittendæ, nec rejiciendæ sunt; sed christiana hic prudentia omnino opus est (o). Differunt piæ a divinis & apostolicis, quod cer-

(n) Sicut apud omnes meliori theologia tinctos convenit, quod nihil religioni perniciosius hoc traditionum genere esse possit, ita mirari sane licet, ineruditum vulgus nihil magis cordi habere, quam vagas ejusmodi traditiones. Merito igitur illi, qui populos pascunt, infudare debent, ut lolia hæc a bono tritico segregent, & si ratio temporis patiatur, radicitus evellant.

(o) „ In recipiendis, inquit Zallwein lib. cit. §. 10. vel rejiciendis dogmatibus sumus cauti, circumspecti, nec nimis scrupulosi, nec extensive critici. Dixi primo nimis scrupulosi, periculum religioni, pietati & saluti fidelium metuentes, ubi non est. Stabit inmota religio, & Christiana virtus, neque animarum salus periclitabitur, etiam si plures piæ traditiones amandentur. Fulcra religionis, virtutis & morum sunt scriptura & traditio Dei ac Ecclesiæ, & ex his enata fidei, morum & disciplinæ dogmata. Remedia vero salutis summe necessaria sunt fuga peccati, exercitium virtutum, frequens & pius Sacramentorum Ecclesiæ usus. Metuendum potius, ne nimius & nimium scrupulosus zelus & fervor in hisce piis traditionibus defendendis aliquoties nocumento fit, & saluti fidelium & religioni; illi quidem, si fideles sint nimis creduli, nimis fidant & in iis anchoram quasi salutis collocent, & interna salubriora magisque necessaria salutis negotia negligant. Religioni vero, si hisce traditionibus veluti fundamentis structuram Ecclesiæ superædificent, quoniam hoc modo Ecclesia irrisioni & contemptui hæreticorum, & ali- quoties periculo, ne latens falsitas detegatur, exponitur.

certam & indubitatam fidem non mereantur: a vulgaribus, quod ista omni probabilitatis specie careant, piæ vero & speciem pietatis & gradum probabilitatis habeant.

§. VII.

Aliam divisionem traditionis subpeditat author Princip. jur. Eccles. (p) (quem NELLERUM esse orbis litterarius detexit). Dividit hic traditionem in inhæsiivam, declarativam & mere-oralem. Inhæsiiva juxta ipsum est, quæ tradit id, quod clare scriptum est (q). Declarativa disertius explanat, quod sacra Scriptura breviter, aut minus clare docet. Mere-oralis tradit, quod nullo modo ne implicitis quidem terminis scriptum est.

Divisio
Nelleri.

§. VIII.

Filium jam nos ducit ad systema Protestantium exponendum. Sicut autem in cæteris materiis; ita & in hac in ambiguo fluctuant & in diversa rapiuntur. Lutherus, Calvinus, Chemnitius, Brentius & alii antiquiores admiserunt quidem, ab Apostolis ritus quosdam ordinatos fuisse, qui in scriptura non sunt adnotati; traditio-

Systema
Protestan-
tium.

(p) Princip. jur. Eccles. cap. II. de trad. n. II.

(q) Hujus divisionis primum membrum ut arbitrarie positum & superfluum fugillant Luyd lib. cit. §. 10. Zallwein §. III. Fatendum quidem quod stricta traditio non sit; cum ea comprehendat, quæ clare in scriptura continentur. Attamen superflua non est. Nam licet a scriptura non differat quoad rem traditam, differt tamen quoad modum adplicandi, cum ostendat aliam viam, aliam lineam, per quam eadem veritas propagatur, id quod multum utilitatis præstat iis, qui scripturam legere non possunt. Pragmaticam etiam utilitatem hoc discrimen habet in tractat. de relig. ubi resurrectio Christi, licet jam clare contineatur in scriptura, monumentis adhuc aliis ex traditione desumptis illustratur. Vid. Hooke relig. nat. & rev. princip. Tom. II, part. II, art. 3.

ditiones autem dogmaticas omnes rejecerunt, scriptura sola, quæ omnia ad fidem salvificam necessaria complecteretur contenti. (r) Horum vestigia legerunt Presbyteriani & Puritani in Anglia. Verum ab his dissentiunt Episcopalistæ, qui non solum ad probandam hierarchiam ecclesiasticam, sed etiam ad dogmata a Socinianis proposita refellenda traditiones saltem declarativas ut necessarias nobiscum amplectuntur. (s) Ab his non abluunt Molanus. (t) Calixtus (u), & alii, qui traditiones quinque priorum seculorum ut principium secundarium revelationis admittunt.

§. IX.

(r) Confr. Bellarmin Tom. I. de contro. fid. lib. IV. cap. III. Wallenburch tract. Sext. de testim. Sect. III. & IV.

(s) Sic Ernestus Grabe in præfat. ad opera Georg. Bulli, & ipse Bullus in apolog. pro Harmonia contr. Thom. Tullium proferunt decretum Synodi Angl. de an. 1571, quo cautum, ne Pastores ullam doctrinam populo proponant, nisi ex scriptura, collectionibus VV. PP. & Episcoporum desumptam. Gerardus Joan. Vossius æquum putat, ut sensus de claritate scripturæ ex VV. PP. desumatur.

(t) In suis cogitat. privat. de method. reu. Eccles. Prot. cum Eccles. Rom. cathol. apud Bossuet I. œuvr. posth. pag. 6. „ De traditionibus sive verbo „ Dei non scripto, inquit, res composito facilis, si dicamus statum con- „ troversia inter nos & Catholicos non esse an dentur traditiones, sed an „ per traditionem Ecclesia acceperit novum aliquem fidei articulum ad fa- „ lutem necessarium sub æterna beatitudinis jactura, in scriptura neque „ totidem verbis, neque per bonam consequentiam extantem. Posterius „ negant Protestantæ, non prius . . . Sane qui ex Protestantibus Symbola „ Apostolorum & Athanasii, quinque priora Concilia œcumenica una cum „ Synodo Arausica & Milevit. consensum item primitivæ Ecclesiæ, si „ non plurium quinque nimirum priorum seculorum admittunt pro theolog. „ principio secundario . . . de traditionibus in Ecclesia Rom. quid dispu- „ tent, vix habebunt. „ Huic articulo Bossuet respondit pag. 124. „ Si „ Protestantæ consentiunt scripturæ sensum . . . aliaque permulta traditione „ duntaxat esse cognoscibilia, vix ulla superest difficultas.

(u) Edidit hic an. 1629. lib. 4. Aug. de doctrin. christian. & præfationem amplam ad commonitor. Vincent, Lirincas., quod etiam edidit, In his sic suum

§. IX.

Systema prædominans Protestantium est hoc: dicunt sacram scripturam in articulis fundamentalibus esse perfectam & perspicuam (x). Hinc inferunt, traditiones nec esse utiles, nec necessarias; & cum Ecclesia sæpius circa has erraverit, nullum dogma extra scripturam sufficienti cum certitudine probari posse. (y)

Systema
regnans
Protestant.

B

§.

suum systema profert: illud certissime fundamentale tenendum, in quo universa Ecclesia convenit, sed quia de hoc consensu omni tempore certo constare non potest respiciendum est ad prima secula; horum consensus verum scripturæ sensum determinat, estque principium secundarium fidei nostræ. Calixto plures alii præsertim Angli assentiunt, major autem pars in Germania ab illo discrepat.

(x) Perspicuitas scripturæ juxta Protestantes est dicendi genus in scriptura tam obvium ut simpliciores etiam ex ea necessaria addiscere possint. Hæc duplex est, alia rerum, alia verborum. Prima est clara cognitio rerum, quæ in scriptura continentur; secunda est clara cognitio signorum, per quæ res in sacris paginis exprimuntur. Jam vero cum scriptura multa rationis spheram excedentia complectatur, dicunt in scriptura non dari perspicuitatem rerum, sed tantum claritatem verborum. Hanc dispenſant in claritatem absolutam & relativam. Absoluta est, qua veritates revelatæ ab uno quoque intelligi possunt, si debitis fulgeat requisitis. Relativa est, qua veritates revelatæ cognoscuntur ab uno facilius, quam ab altero, prout scilicet magis aut minus instructus est debitis requisitis. Inter requisita autem hæc numerant: mens præjudiciis sit vacua, invocetur Spiritus S., attendat legens vel audiens ad naturalem verborum sensum, notitiam habeat linguarum præcipue orientalium, calleat historiam, Philosophiam, artem criticæ, ingenium possideat non modice exercitatum &c. Jam Armeniani & Sociniani putant scripturam tam claram esse, ut primo obtutu sine longiore disquisitione articuli necessarii ex ea addisci possint: Calvinistæ plerumque quibuscum quidam Lutherani consentiunt, putant scripturam solis regentis in essentialibus esse claram. Lutherani communiter claritatem relativam in fundamentalibus tuentur.

(y) Schubert tam in introduct., quam in Theolog. polem. hoc systema defendit. Differt a mitioribus Protestantibus in eo, quod traditionem primorum

se-

§. X.

Status
quæstionis.

Ex hucusque dictis sequitur. 1. Statum quæstionis non esse de traditionibus inhæsis & Ecclesiasticis, utrasque enim Protestantes admittunt. 2. Neque esse quæstionem de ordinibus monachorum, de solennitatibus festorum, de usu rosarii, quibus omnibus nonnulli Protestantes imperite insultant. 3. Non est quæstio an sit credendum verbo Dei non scripto, sive traditioni divinæ? Hoc enim indubitatum est apud omnes Christianos. Motivum enim credendi non est littera, sed auctoritas loquentis. Sed negant Protestantes dari traditiones, quæ contineant verbum Dei (z). Quæstio igitur est

seculorum nequidem ut principium secundarium fidei habeat. Convenit in eo, quod illam admittat ceu fontem, ex quo constet, quid primitiva Ecclesia crediderit. II. Quod illa interserviat ut principium argumentandi ad hominem, si cum Papistis disputetur. III. Quod sit principium veritatis in se, non quidem certum, sed probabile tantum, quia improbable est, tot illustres Doctores primæ Ecclesiæ errasse in fundamento fidei. Interim cum constet Ecclesiam sæpius defecisse v. g. in causa Arianorum; hinc principium certum non est, nequidem secundarium. Admittit tamèn plura olim fuisse revelata & quidem necessaria; sed post clausum canonem scripturæ negat absolute traditiones, & ea, quæ præter scripturam prætenduntur revelata, non esse hodie necessaria, nec certo de iis constare posse. Dein adserit, ut dogma aliquod ex traditione probari possit, hæc quinque constare debere. 1. Dogma illud traditum esse ab Apostolis & in specie a Petro, Paulo, Andrea &c. 2. Dogma illud necessarium esse. 3. illud non habere fundamentum in scriptura. 4. Apostolos id hausisse ex revelatione divina. 5. Purum & incorruptum ad nos fluxisse. Idem systema de claritate scripturæ tuetur Töllner, Hegelmajer in Dissert. de male pacif. tolerant. stud. quamvis a determinatione articulorum fundamentalium posterior totus quantus abhorreat.

(z) Conf. Neller lib. cit. cap. II. num. II. Wallenburch lib. cit. sect. III. & IV. Melchior. Can. de loc. Theolog. lib. III. de trad. §. 1, Ex quibus patet minus adcurate ponere statum quæstionis illos Theologos, qui præcipue quæstionem juris urgent,

est de traditionibus dogmaticis. Sunt vero alia dogmata necessaria necessitate mediæ ab omnibus explicite credenda: de his fate-
mur cum Wallenburch, quod contineantur in S. scriptura adeoque
de his non est quæstio contra Protestantes. Alia sunt necessaria
necessitate præcepti, & hæc duplicis sunt generis. Vel enim illa
sunt vi illius præcepti ab omnibus, qui illorum notitiam habent,
explicite credenda, ut articuli contenti in simbolo Apost., præcepta
decalogi; vel non sunt ita necessaria, ut explicite ab omnibus cre-
di debeant; sunt tamen Ecclesiæ ministris utiles & necessaria. Pri-
mi generis dogmata continentur quidem in scriptura, sed non sem-
per clare. Secundi generis dogmata licet scriptura ea non complectatur
creditum tamen necessaria sunt, & qui illorum notitiam habent,
ea negare non possunt, modo de eorum existentia sufficienter con-
stet. Status igitur quæstionis versatur in eo, an dentur traditiones
divinæ dogmaticæ tam declarativæ (aa), quam etiam mere-orales,
Ecclesiæ ejusque ministris utiles & necessaria, de quarum existentia
sufficienti cum certitudine constare possit. Hoc negant Protestan-
tes, & in hoc a catholica veritate deflecterunt, ut patet ex Tri-
dent. (bb)

§. XI.

Ingentes motus in Germania excitavit sententia Nelleri circa
traditiones: atque non defuerunt viri clarissimi (cc), qui ipsam

Systema
Nelleri ex
parte vin-
dicatur.

B 2

cum

(aa) Hæc res magni est momenti, & in statu controversiæ cum Protestantibus
ponenda, quamvis totam quæstionem ad traditiones mere-orales velint de-
volvere. Dato enim omnia dogmata absolute clara in scriptura contineri,
tamen quia ob defectum claritatis relativæ varie possunt explicari, hinc
traditio declarativa summi momenti est ad hæreticos refutandos.

(bb) Sess. 4. Decret. de Can. script. „ Peripiciensque hanc veritatem & di-
„ sciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ
„ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu
„ S. distante quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt. „ Et in-
„ fra „ si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus . . .
„ & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

(cc) P. Gauhter, Zallwein, Luydl, Riegger.

cum Protestantibus concludere, arcemque Ecclesiæ ipsis prodere autumarunt. Sedes hujus controversiæ est in lib. cit. cap. II. n. X., ubi Neller ita differit: „ Traditiones mere-orales vel sunt dogmaticæ vel disciplinares. An dentur dogmaticæ a verbo Dei plane separata, quarum ne obscura quidem mentio fiat in sacris paginis? quæstio est mere scolastica, quæ tantas rixas haud meretur... Acerbe hunc locum traducit P. Gauthier (dd); sed mitius explicari potest. Nam hæc quæstio, an dentur traditiones dogmaticæ, quarum ne obscura quidem mentio habetur in sacris paginis duplicem habere sensum potest. Vel enim illa obscura mentio ita intelligitur, ut res in sacra scriptura contentæ solido & efficaci argumento exinde deduci possint; vel ita ut licet mentio aliqua rerum traditarum habeatur in Ss. paginis, tamen inde erui non possint nisi per conclusiones longas & difficiles, valdeque detortas. Prima quæstio, quæ adfirmat, omnes veritates dogmaticas in scriptura ita contineri, ut solido & efficaci argumento inde deduci queant, continet ipsissimum Protestantium errorem (ee). Altera quæstio, quæ licet adstruat, omnes veritates dogmaticas obscure in Ss. paginis contineri, adfirmat tamen earum plures nonnisi per conclusiones difficiles & detortas inde exsculpi posse, mere scolastica est, ut fatetur ipse Zallwein impugnator Nelleri. Jam autem Nellerum virum catholicum quæstionem primo in sensu intellexisse, persuadere mihi non possum, quidquid sentiant ejus adversarii. Nam comparat ibi hanc quæstionem cum altera omnino scolastica, scilicet utrum materia fidei creverit ab Adamo usque ad Christum? quamque citra notam hæreseos problematice defendi posse adfirmat. Sicut ergo illi authores, qui materiam fidei crevisse negant, voluntque omnia N. L. dogmata implicite in V. L. fuisse contenta, hoc non intelligunt eo sensu quasi omnia dogmata N. L. solido & firmo argumento ex V. L. deduci queant; sic etiam Nellerus, cum dixit omnes veritates dogmaticas implicite in scriptura contineri, id tantum voluit innuere, quod quidem omnes ad scripturam reduci possint, ea tamen ratione,

(dd) In animadvers. ad princ. jur. Eccl.

(ee) Vid. Schubert in Theolog. polem, pag. 360.

ne, ut earum plures nonnisi per longas & difficiles conclusiones inde erui possint, quæ quidem quæstio est scolastica. Ex hoc lucem accipit alter locus §. XI., ubi Neller ita ait: „ Mihi videtur vix „ ostensum iri, dogma aliquod pragmaticum & fundamentale religionis Christianæ, quod traditione mere-orali innititur. Dogmata vero secundaria & pragmaticis inferiora exhibet traditio, quæ agre ex scriptura eruentur, ut taceam pias, quas vulgo vocant, credulitates. „ Nam vult solum Nellerus, quod dogmata explicite ab omnibus credenda, omnino clare in scriptura contineantur, in quo multos Catholicos sibi consentientes habet. At quid si Nellerus per dogma fundamentale intellexit illud, cujus adversatio, vel negatio systema religionis Catholicæ notabiliter inmutarent? Respondeo, hunc conceptum Neller sufficienter excludit, cum lib. cit. cap. II. n. I. adfirmat, scripturæ existentiam, quæ est tale dogma fundamentale, nonnisi ex traditione probari posse; alias enim, si sub hoc conceptu dogma fundamentale intellexisset, debuisset etiam de ipsa scriptura adfirmare, quod traditione mere-orali non innitatur. Ultimus locus, qui altiore meretur indaginem, est §. II. n. II. lib. cit., ubi Neller anathema Trident. vocat vagum, quod efficaciter non videtur ferire Protestantes. Atque hic fateor, ipsum minus recte sentire, meritoque acri sale a clariss. adversariis fuisse perfricatum. Nam vult per hoc, in Trid. solam quæstionem juris, non autem facti circa traditiones fuisse decisam, h. e. declaratum quidem in eo fuisse, eandem traditioni divinæ ac verbo Dei reverentiam deberi, nondum autem in eo decisum fuisse existere traditiones divinas, atque de iis certo nobis constare posse, adeoque Protestantes esse excusandos, quod de earum existentia nondum persuasi scienter & prudenter eas non contemnant. (ff) Sed quis sibi per-

B 3

sua-

(ff) Lib. cit. cap. II. n. II. „ De hoc juris Eccles. principio lis mota est inde „ a seculo XVI. facti tamen potius, quam juris. Nemo enim negat, verbo Dei tradito, si quod re ipsa existat, omnem deberi reverentiam, sed „ hoc inicianur Protestantes, quod existant præter scripturam genuinæ „ traditiones. Unde anathema illud vagum S. Conc. Trid. Sess. 4. non videtur „ detur efficaciter fulminare Protestantes, cum nemo illorum dicat, traditiones „ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptas &c a se scienter & prudenter contemni.



suadeat, tot doctissimos Ecclesie Præfules statum quæstionis cum Protestantibus ignorasse, præsertim cum Canus, qui concilio Trid. interfuit, tam clare statum quæstionis determinet (gg). Demum ipsum decretum adserit, doctrinam christianam in sacra scriptura & traditionibus ab ipsius Christi ore perceptis contineri. Ergo PP. Trid. exponere voluerunt, quænam sint principia fidei, ergo quæstionem facti potissimum decidere voluerunt. Sciverunt enim plura dogmata ex traditione probanda a Protestantibus rejici. Nec juvat Nellerum obmovere, quod Trident. illis tantum dicat anathema, qui scienter & prudenter traditiones rejiciunt. Nam ille est hæreticus, qui negat id, quod ab Ecclesia propositum est ut revelatum. Sic Calvinistæ persuasi non sunt, revelatam esse realem præsentiam Christi in Eucharistia, & tamen sunt anathematizati, quia crassa & vincibilis est hæc ignorantia. Pari modo se res habet cum existentia traditionum divinarum.

§. XIII.

Existencia
tradition.
div. in lege
Naturæ &
scripta
V. T.

Dilucidato jam statu quæstionis ipsam nunc traditionum divinarum existentiam demonstrare nobis incumbit. Extitisse autem in statu legis naturalis traditiones divinas, tam apertum est, ut Protestantes ipsi negare non audeant. (hh). Cumque ab Adamo
us-

(gg) Lib. III. cap. I. de Trad. Apost. ,, Non enim adeo sunt stupidi (Pro-
,, testantes) ut verba Christi, quæ modo Christi esse constaret, infirmare
,, pergant, quod non fuerint ab Evangelistis scripta. Sed quoniam, quid
,, Christus, quid Apostoli fuerint locuti, eos solum nosse putant, qui Chri-
,, stum & Apostolos audire, colligunt apud nos ne unum quidem dogma
,, posse traditione probari.

(hh) Sic Schubertus ipse fatetur, circumcissionem, dogma de mundo creato, de futuro liberatore, præcepta Noachitica sola traditione fuisse tum temporis propagata. His adde doctrinam de immortalitate animæ, de Deo bonorum Remuneratore & malorum vindice, de altera post præsentem futura vita, de remedio peccatum originale tollendi. Et sane in illo statu homines Deum tanquam finem ultimum ac summum bonum fide, spe & charitate &

usque ad Moysen quinque tantum generationes intercesserint, traditiones illas puras fluxisse, pariter in aprico est (ii). Quod vero traditiones Legis Scriptæ V. T. adinet, in iis admitendis Protestantes difficiliores sunt (kk). Sed quam ex ratione non video. Sane præter memorata jam dogmata, quæ sicut in lege naturæ sic etiam in lege scripta sola traditione propagabantur; credebant Judæi ut fidei dogma, libros omnes suo in canone contentos divinos esse, eosque ut tales venerabantur, laudabant, & ad litteram fideliter observabant; credebant pariter, futuram Christi mortem per cruenta sacrificia præfigurari: unde autem hæc omnia ipsis constabant, nisi sola traditione, cum scriptura altum de his teneat silentium? Demum Prophetæ & personæ sacre continuo Deum consultabant, & frequens cum eo commercium habebant; unde si omnia illa colloquia & revelationes voluissent adnotare, plures sane libri scribendi fuissent, quam modo scriptos videmus. Hinc ipsi scriptores hagiographi N. T. plura referunt vaticinia sensu mystico impleta in Christo ex ipsa Judæorum traditione; manifestum igitur est extitisse in lege scripta V. T. traditiones dogmaticas, tam declarativas, quam etiam mere orales, easque haud indifferentes, & ad

fa-

externis ritibus jugiter colebant, uti ex Genesi patet, ubi adducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham &c. id ipsum etiam constat ex Aug. lib. II. de civit. Dei, ubi civitatem Dei ab initio mundi usque ad finem deducit. Verum nullum deprehenditur vestigium, divinsam hanc doctrinam ante diluvium fuisse scriptam, illa ergo Adamo cæterisque Patriarchis a Deo revelata & successione orali propagata fuerit necesse est.

(ii) Conf. Fleury les mœurs des Israelites pag. 12. 15. & 16., ubi varia subpeditat adminicula, quibus hæc traditiones potuerint conservari.

(kk) Fatentur quidem extitisse in lege scripta quasdam traditiones historicas, exegeticas seu interpretativas, & alias aliorum vaticiniorum, quæ scriptis demandata haud fuerunt, quale fuit vaticinium Henoch a Juda in sua Epist. v. 14. adlegatum. Interim has non fuisse necessarias, & salva salute potuisse ignorari adstruunt.

salutem impertinentes fuisse, objecta, circa quæ versabantur, ostendunt. (II)

§. XIV.

Existencia
trad. div.
N. T.
Arg. I. ex
Consilio
Christi &
Apostolo-
rum.

Præcipuum controversiæ punctum, quod cum Protestantibus habemus, sunt traditiones divinæ N. T.: unde in iis probandis paulo fusiores nos esse oportet. Primum argumentum repetimus ex consilio Christi & Apostolorum. Christus enim Dominus cœlestem, quam e sinu Patris hausit, doctrinam absque omni scriptura hominibus communi cavit, neque Apostolis mandatum ab eo datum fuisse, ut quid scriptis relinquerent, reperimus. Hinc omnes Apostolos prædicasse legimus doctrinam Evangelicam, non autem ab omni-

(II) Eandem veritatem confirmant Patres, Hilarinus Tract. in Psalm. 2. Clemens Alex lib. 5. Strom. Basilus in lib. de Spirit. S., origines & alii, qui uno ore traditiones divinas in V. L. extitisse adfirmant. Hinc Grotius in Animadvers. Rivet fol. 647. scribit: „ Illud cum Scaligero adfirmem, si quis se speret, regem Moſis intellecturum sine ope traditionum, cum imposturam facere & sibi & aliis. „ Et infra „ Id enim quæro, an non ante Moſen viri pii credere debuerint ea, quæ de mundo condito, & di-
lucio rebusque aliis perpetuo consensu tradita fuerunt? An non eadem credere debuerunt post Moſen, qui litteras non didicerunt? an non ista loca narrationi fidæ eandem quam scriptis tribuunt auctoritatem? „ Quod Protestantes ex Math. c. 15. obmovent, eorum causam plane non juvat; non enim ibi de traditionibus divinis sermo est, sed de traditionibus mere humanis, quibus abutebantur Pharisei cum gravi legis divinæ neglectu. Sic docebant per templum & altare jurare nihil esse, obligare autem juramentum per aurum templi vel oblationes in altari factas. Ex eo autem, quod Christus falsas Phariseorum traditiones rejiciat, non sequitur, eum voluisse rejicere etiam traditiones divinas. Nec relevat, quod dicunt, inter illas traditiones varias fuisse bonas ac laudabiles v. g. illas de frequenti jejuniis & oratione. Nam licet quædam essent bonæ, plures tamen erant indifferentes & inutiles; & cum in his observandis vanam gloriam & sanctitatis famam quærerent Pharisei Math. c. 23. v. 5., imo superstitiose minutioribus quibusdam inhærent, ommittendo majora v. 24., merito Christus omnes Phariseorum traditiones, quæ hominibus originem debebant, rejecit,

omnibus scripta exarata habemus. Hinc & illi, qui scripserunt doctrinam Christi, non ea mente & animo illam scripserunt, ut totum depositum fidei a Christo acceptum cum minimis circumstantiis complecterentur, sed prout necessitas vel utilitas id exoptulabat, varia dogmata scriptis adnotarunt. (mm) Quæ cum ita sint, aut admittendum est, non omnia ab Apostolis ac discipulis Christi litteris fuisse demandata, vel certe dicendum, post Apostolorum tempora nullam deinceps occasionem se prodidisse, quæ postularit, punctum aliquod doctrinæ Christianæ scripto exponi, quin eadem jam nata fuerit ipsis Apostolorum temporibus. Hoc autem ultimum perridiculum est; sexcentæ quippe hæreses post tempora Apostolorum ortæ fuerunt, quarum occasione varia Christianæ fidei puncta enucleatius oportuit evolvere, quæ scriptis suis obscure Apostoli expresserunt. Imo cum constet Evangelium adnuntiatum esse & longo tempore perstitisse sine ullis scripturis, deberent Protestantes solido argumento probare, omnia scripta esse, quæ Christus & Apostoli docuerunt. Factum enim hoc est, quod non subponi, sed probari debet. Quamdiu igitur Adversarii contrarium

C non

(mm) Sic Mathæus ea occasione scripsit, quod cum prædicasset Hebræis, & ad gentes ire pararet, utile crederet iis, a quibus discedebat, aliquod doctrinæ suæ ac prædicationis veluti memoriale relinquere, ut testatur Euseb. lib. III. hist. c. 24. S. Marcum scripsisse Evangelium non sponte sua, sed precibus Romanorum idem tradit lib. II. c. 15. S. Lucas ideo scripsit, ut quoniam viderat, multos alios temere præsumsisse, ea scribere, quæ non noverant, ipse veritate luculente exposita ab incertis aliorum narrationibus fideles avocaret, ut ipse initio Evangelii sui docet, adfirmatque Euseb. lib. cit. c. 24. S. Joannem usque ad extremam senectutem sine ulla scriptura Evangelium prædicasse tradit tam idem Eusebius: quam Hyeronimus lib. de script. eccles. addens, eum tandem compulsus ab Asiæ Episcopis Evangelium scripsisse propter Ebionitarum hæresin tum exorientem. S. Paulus quidem varias scripsit epistolas numero 14., Jacobus unam, duas Petrus, unam eamque brevissimam Judas: verum in his nonnisi peculiariora quædam dogmata pertractant, prout illorum nimirum, ad quos scribebant, exigebat utilitas.

non demonstrant; tam diu manemus in possessione traditionum divinarum. Videmus ergo vel jam in ipso limine ex scopo, quem Scriptores Theophneusti in libris suis exarandis habuerunt, Protestantibus causa cadere, & eo efficacius refelli, quod nihil hucusque solidi in contrarium adtulerint. (nn).

§. XV.

(nn) Schubertus contra argumentatur ex perfectionibus divinis, quibus non conveniret revelationem imperfectam tradere. Verum unde probabit, scripturam esse revelationem totalem? Sane argumentum a nobis adlatum contrarium evincit, cum Apostoli nec mandatum scribendi acceperint, nec omnia clare, sed prout necessitas vel utilitas exigebat, dilucidius exposuerint. Conglomerant alii varios scripturæ textus 1. Corinth. 4. „ Ut in nobis di- „ scatis ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro „ alio „ Galat. 1. v. 8. „ Sed licet nos aut Angelus de cælo evangelifet „ vobis, præterquam quod evangelifavimus vobis, anathema sit. „ Joan. 20. „ Multa quidem & alia signa fecit, quæ non sunt scripta in libro hoc, hæc „ autem scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est filius Dei „ sed hæc omnia nihil nisi meræ detorsiones sunt. Nam quod I. adinet Apostolus ibi nequidem a longe hanc quæstionem tangit, sed agit ibi Apostolus de pace & humilitate, & adhortatur, ne unus adversus alterum infletur, prout ipsis sæpius scripserat, cum homo se ipsum non possit discernere, sed omnia a Deo acceperit. Ad II. Apostolus ibi perstringit illos, qui legalium observantiam ad salutem necessariam fidelibus volebant persuadere. Ait enim v. 6. & 7. „ Miror, quod tam cito transferimini . . . in aliud Evangelium, „ quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. „ Ejusmodi autem docere est revera contra doctrinam Christi. Hinc monet fideles, ut nullam aliam doctrinam admittant, ac quam ab ipso edocti fuerint. Non igitur traditionem; sed falsas doctrinas Evangelio Christi obpositas excludit. Ad III. Joannes ibi agit de miraculis Christi, quæ omnia describere non voluit, sed certa quædam duntaxat ex iis seligere, quæ magis ad divinitatem Christi demonstrandam valerent, & pietati fidelium sufficerent. Quid autem ex hoc Protestantibus velint deducere non capio. Citant aliqui Math. c. 15. Ezech. 20. Sed in his locis non est sermo de traditionibus divinis, sed mere humanis & non raro superstitiosis Judæorum & Pharisæorum vid. §. præced. conf. Annat. lib. cit. Art. IV. & V. Fleury lib. cit. pag. 321.

§. XV.

Positivis nunc argumentis Protestantes adgredimur. Atque cum existentia traditionum sit res facti, testes omni exceptione majores Patres Ecclesiæ adducemus. Initium dabit Ignatius. De hoc Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. testatur, quod cum captivus Romanam duceretur, ipse fideles monuerit, „ Ut Apostolorum traditioni mordicus adhærescerent. Quam quidem adseveranter testificatus, quo tutius posteritati reservaretur, necessario scriptis mandandam existimavit. „ Hunc sequitur Papias apud Euseb. lib. 3. cap. 33. „ Non enim, ut vulgus hominum solet iis, qui multa dicunt, sed qui vera docent, oblector. - - Siquis Presbyter forte mihi occurrebat, qui cum Apostolis conversatus fuisset, dicta Apostolorum diligenter sciscitabar, nempe quid Andreas dixisset, quidve Petrus, quid Philippus &c. Neque enim ea, quæ ex libris petebantur, tantum mihi subsidii adlaturum existimavi, quantum ea, quæ acceperam ex hominibus voce & sermone, qui adhuc in vita manebant „ (oo). Hegesippum pariter vindicasse traditiones divinas, idem testatur Eusebius lib. 4. hist. c. 8. „ Ipse enim sinceram & minime fucatam prædicationis Apostolicæ traditionem quinque libris illo quidem scribendi genere maxime simplici & submisso, litteris prosequi adgrediens, tempus, quo ipse floruit, aperte indicat. „ Maximi momenti est locus Irenæi lib. 2. adv. hæres. cap. 3., ubi per integra tria capita contra Valentinum, Marcionem, Cerinthum & Basilium traditionis divinæ

Arg. II.
ex Patri-
bus.

C 2

exi-

(oo) Ex hoc testimonio satis patet, quam curam & sollicitudinem primi Christiani adhibuerint in traditionibus divinis addiscendis, conligendis & conservandis. Verum quidem est, quod Papias, ut Eusebius ipse refert, in quibusdam nimium fuerit credulus, & hoc vel ipse error de regno millenario, quem primus invexit inter Patres, ostendit; sed in hac questione si ipsum deceptum fuisse vellemus adstruere, omnes Patres, totumque Ecclesiam simul cum ipso deceptam fuisse deberemus fingere, cum omnes Patres, omnesque Ecclesias in hac re sibi consentientes habeat,

existentiam invicte demonstrat. Verba sunt hæc: Inter alia, in-
 quit: „ Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifesta-
 „ tam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint
 „ videre: & habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti
 „ sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos,
 „ qui nihil tale docuerunt. . . . Sed quoniam valde longum est in
 „ hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successores,
 „ maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duo-
 „ bus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ec-
 „ clesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & adnun-
 „ ciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum perve-
 „ nientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui
 „ quoquo modo vel per sibi placentia vel per vanam gloriam, vel
 „ per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, conli-
 „ gunt. „ (pp) Idem filium traditionis secutum fuisse Clementem
 „ Alex., testatur Euseb. lib. 6. hist. cap. 11., de eo ita differens: „
 „ Idem in libro illius, quem de paschate composuit, fatetur se a
 „ familiaribus suis compulsus, ut traditiones, quas a veteribus
 „ Presbyteris accepisset, litteris proderet ad posteritatem. „ Ori-
 „ genes traditionem ut certam veritatis regulam statuit præfat. in lib.
 „ 1. de Princip.: „ Illa sola, inquit, credenda est veritas, quæ
 „ in nullo ab ecclesiastica & apostolica discordat traditione. „
 „ Hom. 8. in Levit. pag. 230. parvulos baptisandi consuetudinem ex
 „ traditione deducit, & tandem Tom. III. Comment. in Math. pag.
 „ 440. testatur, se traditione didicisse quatuor solummodo esse in Ec-
 „ clesia Dei Evangelia. Eandem veritatem tuetur Tertullianus in libr.
 „ de Præscript., ubi n. 12. monet, „ Ut veritatem in nostro, & de
 „ nostro, & a nostris quæramus, idque duntaxat, quod salva fi-
 „ dei

(pp) Ex hoc textu patet 1. extitisse traditiones divinas 2. eas tempore Irenæi
 fuisse universales. 3. eas sollicite fuisse segregatas a falsis hæreticorum de-
 liramentis. 4. iis maxime Ecclesiam inhæsisse, ut hæreticos refelleret. Pro-
 testantibus hic locus non aridet, hinc varias vias invenerunt, quibus eum
 subterföderent. Sed egregie hunc vindicat Massuet in Edit. Op. S. Iren.
 Berti de Theolog. discipl. l. 25.


„ dei regula in quaestionem venire potest. „ n. 19. vult, cum hæ-
 reticis non esse disputandum propter eorum detractiones, adjectio-
 nes & perversas expositiones: „ Sed, inquit, disputandum solum
 „ cum iis, quibus competat fides ipsa, cujus sint scripturæ: a quo
 „ & per quas, & quando & quibus tradita sit disciplina, qua fiunt
 „ Christiani: ubi enim adparuerit esse veritatem & disciplinæ &
 „ fidei christianæ; illic erit veritas scripturarum & expositionum
 „ & omnium traditionum christianarum. „ Tertulliano succinit
 Cyprianus Epist. 42. ad Cornel. scribens: „ Secundum quod divi-
 „ næ traditionis sanctitas pariter ac veritas exigebat, litteras no-
 „ stras ad te direximus. „ Et de Sacramento dominici calicis
 Epist. 63. ad Cæcilian., inquit: „ Necessarium duxi, has ad vos
 „ litteras facere, ut si quis in isto adhuc errore tenetur, veritatis
 „ luce perspecta, ad radicem atque originem traditionis dominicæ
 „ revertatur . . . Admonitos autem nos scias, ut in calice offe-
 „ rendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam
 „ quod pro nobis Dominus prior fecerit. „ Egregium pariter tradi-
 tionis div. testimonium reliquit Eusebius Cæsareæ in Palæstina
 Episcopus lib. 1. demonstrat. evang. cap. 8. „ Cæterum ille qui-
 „ dem in tabulis inanimatis, hic autem in mentibus vita præditis
 „ perfecta N. T. documenta descripsit: ejus vero discipuli ad Ma-
 „ gistri sui nutum auribus multorum doctrinam suam adcomodan-
 „ tes, quæcunque quidem veluti ultra habitum progressis, a per-
 „ fecto ipsorum Magistro præcepta fuerunt, ea iis, qui capere po-
 „ terant, tradiderunt: quæcunque vero iis convenire arbitraban-
 „ tur, qui animas adhuc adfectionibus obnoxias gererent, cura-
 „ tionisque indigentes; ea ipsi ad imbecillitatem multorum se de-
 „ mittentes partim litteris, partim sine litteris, quasi jure quodam
 „ non scripto servanda commendarunt. „ Basilius non in uno lo-
 „ co traditionem div. adstruit. sic lib. de Spirit. S. c. 27. „ ex ad-
 „ servatis, inquit, in Ecclesia dogmatibus & prædicationibus, alia
 „ quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in
 „ misterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum, quorum
 „ utraque vim eandem habent ad pietatem; nec iis quisquam con-
 „ tradicet: nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quæ
 „ sint Ecclesiæ instituta. Nam si consuetudines, quæ scripto pro-

„ ditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti ad-
 „ grediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus præ-
 „ cipuis lædemus, imo potius prædicationem ad nudum nomen
 „ contrahemus (qq). Derivat dein ex traditione signum crucis,
 „ verba invocationis in conficienda Eucharistia, benedictionem aquæ
 „ baptismalis, oleum unktionis, trinam immersionem. Pergit dein
 „ eod. lib. cap. 29. misteriorum traditionem stabilire dicens: „ Sane
 „ contra id, quod dicunt, glorificationem cum Spiritu, carere te-
 „ stimonio, nec in scripturis extare, illud dicimus: si nihil aliud
 „ est receptum absque scripturis, ne hoc quidem recipiatur: sin
 „ plura arcana citra scripturam recepta sunt a nobis, cum aliis plu-
 „ ribus & hoc recipiemus. Arbitror autem apostolicum esse,
 „ etiam non scriptis traditionibus inhærere. „ Chrysofomus pa-
 „ riter non ultimus fuit in Tradit. defendenda. Sic hom. 4. in 2.
 „ Theſſal. inquit: „ Est traditio, nihil quæras amplius; traditio enim
 „ ipsa per se ipsam sufficit, ut quod illa tradit, teneas creden-
 „ dum. (rr)

§. XVI.

(qq) Protestantes, textus hujus claritatem negare nequeunt, unde varii voluat
 librum hunc Basilio abjudicare. Verum secundum communem criticorum
 sententiam genuinus Basiliæ factus est Schubert obmovet, Basiliam non lo-
 qui de traditionibus dogmaticis, sed tantum Ecclesiasticis, hinc illum eas
 consuetudines vocare. Verum ex ipso textu patet, S. Patrem loqui de tra-
 dit. dog. Ex adſervatis enim inquit, in Ecclesia dogmatibus alia scripta,
 alia tradita accepimus. Unde loquitur de consuetudinibus, quæ a Christo
 ipso originem traxerunt, & quas absque Evangelii læsione negare non pos-
 sumus.

(rr) Eandem veritatem demonstrant Epiphanius hæres. 65. Gregor. Nyſſen
 Orat. 3. contr. Eunom. lib. 1. demonstrat evang. cap. 8. Ambros. lib. de mi-
 ſter. cap. 2. & 6. Item lib. 1. de Sacrament. cap. 2. Hyeronimus comment.
 in Math. cap. 25. cap. 120. Augustinus Epist. 54. ad Januar. n. 1. Epist.
 194. ad Sixtum n. 43. Serm. 172. de verbis Apoſt. 1. Tim. I. Serm. 176.
 n. 2. lib. 2. de Baptism. contr. Donat. n. 12. 9. 30. &c. Horum testimo-
 nia, cum nimis fufum sit ea referre, vid. apud Wallenburch in op. min.
 pag. 250. & seq. Schaaf prælect. de loc. theol. lib. 10. cap. V. & VI. Na-
 tal. Alex Tom. IV, Differt. XVI. in Sæc. II. §. XXII.




§. XVI.

Eandem viam quam Patres, etiam concilia tenuerunt œcumenica, quæ maxime traditioni ad hæreticos confutandos insistebant. Sic in concilio Nicæn. referente Cassiodoro. „ Cum alii suadebant „ nihil innovandum citra antiquam fidei traditionem, & maxime „ quando morum simplicitas sine perscrutatione traderetur adceden- „ tibus ad fidei Sacramentum. Alii vero respondebant, non oportere sine examinatione sequi sententias antiquorum. Cumque „ plurimi disceptationis delectatione traherentur, unus quidam
ex

Arg. III.
ex conciliis
œcumenicis.

Contra hucusque dicta tria obganniunt Protestantes. I. Plura PP. opera esse subpositiva, adeoque ex illis nihil probari posse. II. Patres locutos fuisse de quibusdam ceremoniis, ritibus & consuetudinibus post tempora Apostolorum demum in introductis. III. Ipsos Patres sæpius ad scripturam provocasse, eamque ut unicam fidei regulam agnovisse, atque ut hoc prebent, omnes eos textus Patrum conradunt, in quibus adserunt, præter scripturæ auctoritatem nihil esse statuendum, clare quæ ad fidem sufficiunt in sacris paginis contineri &c. Sed meræ hæc cavillationes sunt, nullo fundamento subnixæ. Nam quod primum adinet, ex professo ea Patrum testimonia adduximus, quæ ex communi criticorum sententia genuina esse constat. Demum quænam hæc argumentandi ratio? nonnulla Patrum opera sunt subposita, ergo nullis ipsorum operibus fides adhibenda. Si sic argumentari placeat, ergo nullum opus erit, quod ut subpositivum. traduci nequeat. Cæterum Ecclesiam semper maxime fuisse sollicitam, ut opera spuria, a genuinis Patrum operibus discernerentur, solus ille ignorare potest, qui veritati oculos claudere non erubescit. Secundum plane nullam habet difficultatem, nec alio opus est, quam ut quis adtente & animo a præjudiciis vacuo Patrum testimonia a nobis adlegata perlegat. Tertium quod spectat, incassum agunt Protestantes, dum volunt, Patres scripturam ut solam regulam fidei admisisse; sane contrarium testimonia eorum adducta demonstrant. Patres igitur, dum ejusmodi loquendi formulas adhibuerunt, explicandi sunt relate ad scopum, quem intendebant. Hinc Patres, qui dixerunt, nihil præter scripturam esse statuendum, libros excluderunt apogryphos. Atque ita intelligendus Hieronimus in cap. 23. Math., ubi eos refutat, qui ex
li-



„ ex confessoribus laicis simplicem habens sensum, dialecticis
 „ obviavit, dicens: Audite igitur: Christus & Apostoli non nobis
 „ artem dialecticam tradiderunt, vanamque verborum fallaciam,
 „ sed puram scientiam fide & operibus observandam. Hæc dicente
 „ juvene, & animo sene, præsentibus quidem mirati sunt, dictum-
 „ que probaverunt. „ Concilium pariter Ephesinum teste Vincent.
 Lirinens. lib. adv. hæres. cap. 42. antiquorum traditioni inhæsit ad-
 versus pestiferam Nestorii doctrinam. Eandem regulam observa-
 vit concil. Chalcedonense: nam act. 11. prælecta Epistola Leonis
 Papæ ab omnibus Patribus adclamatum fuit „ Hæc est fides Patrum,
 „ & ita nos credimus, anathema illi, qui non ita credit. „ Con-
 ciliium generale Vtum anathema vibrat in illos, qui non una ado-
 ratione carnem Christi cum divinitate adorarent, sicut a priore
 Ecclesia traditum fuit. Hujus vestigia legerunt conc. gen. VI. VII.
 & VIII. In concilio Florentino Græci cum Latinis admittebant,
 ex Patribus Photio antiquioribus res esse decidendas. (ss)

§. XVII.

libro apogrypho probare voluerunt, Zachariam, qui inter altare & tem-
 plum occisus fuit, Patrem fuisse Joannis Baptistæ. Alii, qui adfirmarunt
 omnia perspicue in scriptura contineri intelligendi sunt relate ad ea dogma-
 ta & præcepta morum, quæ sibi sumpserunt explicanda. Et sic intelligen-
 dus est Irenæus lib. 3. c. 1., ubi agit de iis, quæ fide explicita tenenda
 sunt. Athanasius lib. contr. Gent., ubi ostendit idola non esse Deos, Chri-
 stum autem & hominem & Deum esse simul. Tertull. libr. contr. Hermog.
 in quo hunc hæreticum refutat ex scriptura, quæ clare adferit, omnia ex
 nihilo creata fuisse. Augustinus lib. 2. de doct. c. 9., ubi fidem & carita-
 tem commendat. Cyrillus Alex lib. 12. in Joan. c. ult., ubi tractat de mi-
 raculis Christi. Ejusmodi autem dogmata clare in scriptura contineri non
 negamus; at omnia sic ibi contenta esse, id est, quod nos negamus, &
 Patres negarunt. Conf. Bellarm. lib. cit. Natal. lib. cit. Petav. Prolegom.
 ad Theolog. & Hierarch. Eccles. lib. 1. c. 1.

(ss) Non recitata modo concilia œcumenica, sed alia etiam particularia men-
 tem suam de existentia divinarum traditionum luculenter ipso facto expli-
 carunt. Sic romana secunda synodus sub Cornelio habita An. 255. tradi-
 tione, novatianam confodit hæresin, antiochena sub Dyonisio celebrata

Ab.

§. XVII.


Ex his ergo inferimus. 1. Omnes illi Patres, qui loquuntur de traditionibus non scriptis ad minimum sunt intelligendi de traditionibus declarativis. Alias enim nomine traditionis nequidem uti potuissent. 2. Illi ipsi Patres, qui loquuntur de traditionibus non scriptis, in sensu naturali & obvio intelligendi sunt de dogmatis illis, quæ valido argumento ex scriptura nequeunt erui. Si enim convincenti argumento ex scriptura erui possent, in sensu obvio scripta essent, & non tradita. 3. Omnes Patres, qui differunt de traditionibus circa dogmata, loquuntur de traditionibus divinis, non ecclesiasticis. Nam dogmata fidei & morum transcendunt potestatem Ecclesiæ, adeoque originem divinam habent. 4. Patres, qui adhibent traditiones ad hæreticos refutandos, ad minimum sunt intelligendi de traditionibus declarativis. Scopus enim eorum erat, ex traditione refellere eos, qui scripturæ sensum depravant, ergo uberior & distinctior debuit esse traditio circa dogmata etiam necessaria. Sic Irenæus, Tertullianus, Athanasius &c. agunt præcipue de dogmatis simbolorum. 5. Omnes Patres, qui dogmata ex traditione probanda adstruunt, eo quod sufficienter ex scriptura probari nequeant intelligendi sunt de traditione orali divina. Sic Origenes baptismum parvulorum ex traditione orali probat. (§. XIII.) 6. Omnes Patres & omnia concilia, quæ in refellendis hæreticis ad testimonia Patrum & Ecclesiarum apostolicarum provocant, longe aliam controversias fidei dirimendi viam statuerunt, ac Protestantes, qui solam scripturam accedunt, exclusa traditione. Si enim Patres & concilia putassent clare omnia in scriptura expressa esse, utique superfluum fuisset, ad traditionem Ecclesiarum apostolicarum pro-

Reflecto
in Patres
& concilia

D

VO-

An. 266. Paulum Samosatenum traditione devicit. Sic Milevitana secunda An. 416. sub Innocentio I. Pelagium, sic Bracarensis An. 563. sub Joanne III. Priscillianistas vicit, expugnavitque. Habemus ergo consensum totius Ecclesiæ, quæ columna est & firmamentum veritatis, adversus quam portæ inferi non prævalebunt, quæque sicut ab initio usque nunc, sic imposterum traditionibus divinis innixa hæreticorum ridebit furorem,



vocare. Luce igitur clarius est prioribus Ecclesiæ seculis extitisse traditiones saltim declarativas circa dogmata perspicue in scriptura non contenta. (tt)

§. XVIII.

Object. Protestant. Mire se torquent Protestantes, ut hæc argumenta eludant. Inter cætera maximam suam vim ponunt in suo systemate de scriptura. Distinguunt nimirum inter articulos fundamentales & non fundamentales. De non fundamentalibus monent nos parum debere esse sollicitos, cum sint res indifferentes, quæ salva fide ignorari possint, in fundamentalibus autem scripturam claram esse, mordicus defendunt.

(tt) Id ipsum variis adhuc argumentis urgeri potest. Sic 1. constat, sacram scripturam ab initio summa cum diligentia a Christianis fuisse lectam, id testantur ipsi actus Apost. . Apostoli, qui cum fidelibus conversabantur, facile interpretati sunt scripturæ sensum, & difficultates in ea occurrentes. Ejusmodi autem interpretationes omnes si scriptis voluissent relinquere, commentaria super commentaria conficere debuissent. 2. Circa dogmata omnibus necessaria oportet habere certitudinem infallibilem sensus scripturæ; debent enim nobis applicari certitudine supernaturali, ad quam certitudo moralis & motiva credibilitatis non sufficiunt; necessaria ergo est traditio declarativa, quæ sensum scripturæ dubium determinet. 3. Sunt quidam textus scripturæ, qui sine traditione explicari nequeunt v. g. Joan. 13. v. 24. „ Debebis alter alterius lavare pedes „ Math. 26. „ Comedite & bite &c. „ Ubi Protestantes ajunt, in posteriori latere præceptum non autem in priori, in quo tamen clarius præceptum exprimitur. Dent ergo rationem, cur primus textus non, alter autem contineat præceptum. Sane ex hoc labyrintho se non extricabunt, nisi ad filum traditionis declarativæ confugiant. Atque id ipsum agnovit Grotius in adnotat. ad Cassandr., ubi ait „ Protestantes admittunt consequentias varias ex genio privato; ast Catholicæ admittunt consequentias prout eas admisit vetus Ecclesia; hinc tot „ inter Protestantes divortia. Nempe ipsi Protestantes fatentur, non omnia inmediate contineri in scriptura, sed conclusiones esse faciendas: hæc „ faciunt Catholici juxta traditionem declarativam. „ Ægre quidem ferunt hunc textum Protestantes, hinc librum edidere, cui titulus: Grotius papifans; sed quam bene, judicet lector.

dunt. Calviniani quidem eam claritatem restringunt ad solos fideles & regeneritos; Lutherani vero illam extendunt ad eos omnes, qui debitis requisitis ad scripturam legendam accedunt. Revelatio enim inquit ita comparata esse debet, ut quisque veritates necessarias ex ea addiscere possit. Ad quid enim data est, nisi ad homines erudiendos, & in via salutis dirigendos. (uu)

§. XIX.

Sed mira se hic prodit Protestantium astutia, cum sententiam nobis obtrudant, quam ipsi probare non possunt. Sane ipsi non conveniunt, nec in definitione, nec in numero horum articulorum determinando. (xx) Sed hoc tantisper transmissio, nec in sensu

Refutatur.

D 2

Cal-

(uu) Hoc systema præcipue excoluerunt Schubert, Töllner, Wittenbach, Clemmius, Lüdke & alii. Sed cum non nulli numerum articulorum fundamentalium tam arctum statuerunt, ut vix religio revelata a naturali differret, varii Protestantes consultius duxerunt, ut a determinatione horum articulorum plane abstineretur, vid. Hegelmajer dissert. cit.

(xx) Sic Joannes Clericus articulum fundamentalem vocat illum, in quo omnes Christiani conveniunt. Jurieu omne illud dogma, quod ad gloriam Dei & salutem hominum conducit. Wittenbach illum articulum dicit fundamentalem, qui fundamento dogmatico vel mediate vel inmediate innititur: Töllner illum, qui ad decretum de gloria Dei & salute hominum pertinet, Schubert demum illum, sine quo notitia & fides in Christum nec haberi nec conservari potest, fundamentalem vocant. Eadem diversitas regnat circa numerum articulorum fundamentalium determinandum. Sic Burri quidam Anglus, Lockius & alii nonnisi fidem in Deum & Messiam adstruunt. Idem systema adoptavit Michael Loen in libr. Francofurti edito sub titulo: Die einzige und wahre Religion durch die Zänkereyen der Theologen in Unordnung und durch die Vernunft in Ordnung gebracht. Alii ut Calixtus Professor Helmstad., Ladermannus, quibus præluserat Antonius de Domiais exjesuita postea Archiepiscopus Spalatinus in Dalmatia, Gregorii IX. cognatus, nihil præter symbolum Apostolicum admittunt. Semler illos inter articulos necessarios refert, qui influxum habent in mores hominum,

Schu-

Calvinistarum, nec Lutheranorum scripturam etiam in fundamentalibus claram esse adfirmamus. Nam quod Calvinistas adinet, ii ad

Schubert sequentes adstruit. 1. Omnes homines natura esse peccatores & filios iræ. 2. Neminem posse suis operibus justitiam, quæ coram Deo valet, comparare. 3. Hinc Christum plenissime satisfecisse pro peccatis, ut justitiam necessariam nobis procuraret. 4. Hoc meritum omnibus efficacissime offerri. 5. Imputari quoque omnia merita & dona illis, qui in Christum credunt; si toti merito acquiescant. 6. Eos certe justificari, qui ita credunt, nec aliud quam fidem istam ad salutem requiri. 7. Quemadmodum autem homo sua malitia Deo resistere potest, ita hanc fidem perdi posse. 8. Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum S. 9. Eundem non nisi amore Dei & proximi coli. Joh. Bernh. Basedow im Grundriß der Religion, welche durch Nachdenken und Bibelforschen erkannt wird. 1764. pag. 116. ita discurre: „ Das Universal Christenthum, dem keine einzige mir bekannte Kirche widerspricht, machen diese 6. Sätze aus: 1. Die vier Evangelisten nebst der apostolischen Geschichte sind sehr glaubwürdige Geschichtsbücher. 2. Die Briefe des N. T. sind von Aposteln geschrieben. 3. Christus ist der eingeborne Sohn Gottes, ohne gleichen, der größte unter allen göttlichen Gesandten. 4. Auch die Apostel sind wahre Gesandte Gottes und Jesu Christi, und haben als solche wirklich gelehrt. 5. Der Inhalt der wahren natürlichen Religion ist auch durch Jesum Christum und seine Apostel geoffenbaret. 6. Die Mängel der natürlichen Religion werden durch diese Offenbarungen ersetzt. „ Hunc secutus Lüdke in duobus libris, primo: Vom falschen Religionseifer 1767., secundo: Ueber Toleranz und Gewissensfreyheit &c. 1774., sequentes articulos fundamentales adstruit: „ Wer den Glauben an einen alleinigen Gott und Vater aller Menschen: an seine unendlich weise und gütige Regierung der Welt; an seine durch Christum geoffenbahrte und durch dessen Todt und Auferstehung bestätigte allgemeine Gnade gegen alle umkehrende Sünder, die nun weiter keine Sünopfer, wie sie, Juden und Heiden der Gottheit brachten, nöthig hätten; an ein zukünftiges Leben nach dem Todte, wo einem jedem nach seinem Leben vergolten wird. . . Wer diesen Glauben lehret, der lehret sicherlich die wesentliche Grundartikel des Christenthums . . . nicht mehr und nicht weniger als Christus unser Herr in seinen öffentlichen und besondern Vorträgen selbst gelehrt hat. „ Longius adhuc progressi sunt, ac paucioribus totum Christianismum adligant, censores Berolinenses, cum prius scriptum Doct. Lüdkei orbi litteraria

ad intelligentiam scripturæ requirunt, ut quis sit fidelis & regeneritus. Hoc autem nec sibi nec aliis probare possunt. Non sibi: nam difficillimum est, judicare de dispositionibus internis, easque cum ad-
 ulterinis animi adfectionibus non confundere, si enim nosmet ipsos inspiciamus; videmus amore proprio sapius nos decipi, superbe de nobismet ipsis judicamus, Spiritum humilitatis nobis adscribimus, qui tamen fictus & arrogantiae partus est. Imo experientia teste etiam mali se habere virtutes, se esse fideles, sibi blandiuntur, cum tamen nec illas possideant, nec veri sint fideles. Neque id possunt aliis persuadere. Id enim fieri deberet per certa signa, qualia sunt miracula, prædictiones futurorum &c; sed historia teste nulla ejusmodi signa hucusque protulerunt Calvinistæ. Et sane si regeneritis & fidelibus clara esset scriptura in fundamentalibus, ergo vel omnibus Calvinistis, vel non. Si primum, ergo non omnes fideles sunt, quod tamen nullus sibi vult objici. Si secundum, dicant ergo nobis, quare doctiores Calvinistæ non conveniant circa articulos ne-

D 3

cessa-

rio commendarent, allg- deutsche Bibl. 7. Band 2. Stück pag. 128. „ Es
 „ wäre also auch disfalls zu wünschen, daßs man einmal festsetzte, ohne
 „ welche Glaubenslehren weiter keine aufrichtige Rechtshaffenheit seyn
 „ könne, und da dünkt uns, die Sache von allen Seiten und im ganzen
 „ Ernst überlegt, die Lehren von Gott. seiner alles einfließenden Fürsorge
 „ und der Hoffnung eines zukünftigen Zustandes müßten das Ganze ausma-
 „ chen. Solls mehr seyn, so mögen es andere mit Jesu Christo, dem treuen
 „ Zeugen ausmachen, der selbst in seiner Bergpredigt das Religionsgebäu-
 „ de auf diesen festen Gründen als auf einen Felsen aufgeföhret hat: und
 „ mit grosser Lebhaftigkeit fühlen wir es in diesem Augenblick, wie fest
 „ wir darauf stehen. „ Ex his omnibus colliges, hoc systema se ipsum sua
 „ diversitate, & discordia sententiarum evertere. Quod enim sunt capita, tot
 „ sunt sententiæ. Nec mirum: nullum enim est vinculum unitatis, quod tam
 „ diversa sentientes caadunet, quin potius quilibet Spiritu privato ductus quid-
 „ quid lubet, addit, aut demit in systemate religionis. Hinc Protestantes
 „ doctiores vix non omnes communi vitio indifferentissimi & syncretismi la-
 „ borant; nec hoc amplius mysterium est, cum pagellæ quævis publicæ id
 „ loquantur: Egregium circa hanc rem argumentum produxit ipse Lockius,
 „ quod nullus hucusque Protestantium solvit. vid. Hooke lib. cit. tom. III.
 „ §. V.

cessarios? Demum, ut bene ratiocinantur Wallenburchici, si requiratur status regenerationis, ut quis per S. scripturam intelligat, quinam sint articuli necessarii, ergo oportet esse fidelem, antequam aliquis per S. scripturam intelligat, quinam sint articuli necessarii. Ratio est, quia nullus regeneratur, nisi fiat fidelis. Ergo dantur fideles & regeniti, qui necdum sciunt per scripturam quinam sint articuli necessarii: ergo dantur fideles & regeniti, qui non credunt articulos necessarios. Hoc quam absurdum sit ipsi Calvinistæ perspiciant. (yy) Quod Lutheri affectus spectat, hi eo facilius reseluntur, quod adstruant requisita, quæ apud rudes frustra quæsi-eris. Ubinam enim illos tinctos reperies bona philosophia, studio critices, notitia linguarum &c. At inquires rudes debere consulere interpretationes aliorum, si res admodum difficilis foret. Sed quinam sunt illi alii. An Doctores suæ religionis? sed hi ipsi inter se dissentiunt etiam in fundamentalibus. An Patres primitivæ Ecclesiæ? sed hic recrudescit difficultas, quomodo enim rudes negotiis secularibus inmersi opera Patrum discutient? Demum etiamsi demus, unumquemque posse esse certum utcumque de sensu scripturæ; haud tamen certus esse potest de sensu a Spiritu S. intento. Ad hoc enim requiritur, ut extra dubii aleam sit, versionem, qua quis utitur, conformem esse textui originali græco & hebraico; sed maxima pars hominum de hac re nequit esse certa certitudine supernaturali & divina. Medium enim tale esset vel Spiritus privatus,

(yy) Eadem veritas variis scripturæ exemplis illustrari potest sic act. 8. v. 26. legimus Eunuchum reginæ Candacis, qui vere & animo fuit fidelis; tamen articulum necessarium de redemptione generis humani Isaia 53. ignorasse. Item act. 15. inter Judæos ad Christum conversos, qui fervidi admodum erant fideles, enata fuit controversia, an legalium observantia ad salutem necessaria esset? Erat hic quæstio de articulo fundamentalis, & tamen fideles dubii hærebant. Demum ipse Calvinus hos textus: „ Ego & Pater „ unum sumus. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo &c. „ explicavit de unione morali & consensu voluntatis, quos tamen ipsi Calvinistæ de consubstantialitate verbi intelligunt, & contra Armenianos defendunt. Ex quo plane sequitur, vel Calvinum non fuisse regenitum & fidelem, vel fideles scripturam etiam in fundamentalibus non esse claram.

tus, vel consensus eruditorum. Non primum: quis enim discernere queat, utrum ille Spiritus sit a Deo, an a Phantasia humana? Sane contradictiones, quibus abundat hic Spiritus, manifestant, eum non esse a Deo, quippe qui, quod una manu erigit, altera destruit. Non secundum: nam ipsi eruditi in versionibus non conveniunt, præcipue Sociniani, qui alias effingunt interpretationes, accentus aliter ponunt, textus, ex quibus dogmata fundamentalia probantur, alium in sensum detorquent &c. Tristitia prostant exempla Michaelis, Semleri, Bardhii & aliorum. Ultimo sunt in scriptura verba metaphorica, adeoque intercedentem tunc similitudinem percipere, rerum naturas bene noscere requiritur: occurrunt ibi idiotismi linguæ cuius proprii, qui pariunt obscuritatem: loca, quæ sibi repugnantia videntur, concilianda, sensus, qui ex textus serie consequitur, adcurata comparatione est conligendus. Horum omnium autem rudes non sunt capaces. Ergo unicum medium, obscuritatem tollendi est traditio declarativa Ecclesiæ.

§. XX.

Quæ hucusque adduximus argumenta præcipue ad traditiones declarativas evincendas conlimabant; supereft igitur adhuc illud genus traditionum demonstrandum, quod circa ea versatur dogmata, quæ valido argumento ex scriptura deduci nequeunt. Atque imprimis conveniunt nobiscum Protestantes, libros N. T. esse authenticos & divinos. (zz) Neutrum autem solido argumento ex scriptura

Arg. IV.

(zz) Juxta Catholicos divinitas scripturæ non est dogma ab omnibus explicite credendum, sed Ecclesiæ tantum necessarium vid. Wallenburch pag. 255. Apud Protestantes vero est dogma absolute necessarium, & fide explicita ab omnibus credendum. Nam scriptura unicum eorum principium & motivum credendi est. Schubert quidem illud habet pro dogmate secundario, sed ipse sibi non coheret in suis principiis. Nam definit articulum primarium esse illum, qui salva salute ignorari non potest. Quis autem non videt scrip-

tura deduci potest. Non primum: authentia enim scripturæ duplicem quæstionem facti involvit, scilicet utrum illi libri sint partus Apostolorum; & utrum genuini & in substantialibus non corrupti ad nos usque pervenerint? utrumque nonnisi via testimonii & perpetua traditione de ore ad os transmissa confici potest. Veritas hæc tam luculenta est, ut ipsi Protestantes hic admodum non repugnent. (aaa) Acrius reluctantur, ubi de divinitate integra librorum N. T. agitur. Divinitas autem diverso modo concipi potest. Primo, utrum dogmata fidei & morum a Christo sint revelata, secundo, utrum Apostoli ad scribendos illos libros divinitus fuerint moti, & in iis scribendis directi, ne quid falsi inmiscerent. Quod primum adinet, fatemur, quod divinitas scripturæ sic sumta subposita ejus authentia ex scriptura solido argumento derivari possit. (bbb) Ea enim fluit ex miraculis & prophetiis a J. C. editis, quæ in sacris paginis continentur. At secundo sensu negamus, quod ex sola scriptura divinitas solido argumento erui queat. Inspiratio enim est res facti, quæ a voluntate Dei & ejus ordinatione dependet, adeoque cum scriptura alte de hoc facto fileat, nonnisi ad traditionem mere-oralem hic recurrendum est. (ccc)

§. XXI.

scripturam in principiis Protestantium esse tale dogma. Absque enim scriptura ut divina cognita non possunt habere fidem in Christum, ac proin nec suam salutem consequi, cum scriptura apud ipsos sit unica agendorum & credendorum norma, igitur scripturæ divinitas salva salute ignorari non potest, adeoque est dogma fundamentale primum. Quidquid sit, sufficit nobis dogma de scripturæ divinitate omnibus esse necessarium, quod ex scriptura ipsa solido argumento deduci nequeat.

(aaa) Sic Molinæus Novit. Pap. lib. 1. cap. 51. Episcopus respons. ad 3. dilem. Calvinus lib. 1. instit. cap. 8. §. 9. Brentius, Chemnitius & alii, a quibus recensiores non dissentiunt, quoad hoc punctum traditionem admitterunt. vid. Bellarm. lib. cit. de verb. Dei non script. §. IV. Wallenburch lib. cit. pag. 255.

(bbb) Vid. Stattler de loc. Theolog. c. 1. & seq.

(ccc) Res hæc sic concipi debet: Apostoli divinitus moti scripsere suos libros: ipsi senserunt evidenter, quod divinitus inspirati scripserint; tradiderunt dein

§. XXI.

Ut autem hæc certa sunt, varios tamen scrupulos hic movent Protestantes. Sic Basnage & Mezrezat Calvinistæ excipiunt, probandam non esse scripturæ divinitatem, eo quod scriptura sit principium fidei, principia autem non demonstrantur. Schmidius & Schubert probandam volunt scripturæ divinitatem ex testimonio Spiritus S., quod consistit in sensu efficaci præstantiæ, virtutisque librorum sacrorum, quo Spiritus S. ita adjuvat legentem, ut ejusdem vis & efficacia mirifice in ejus animo se exferat. Ponunt ergo illud testimonium in efficacia doctrinæ, qua homo movetur ad fidem salvificam, hocque testimonium juxta ipsos omnibus sub di-

Obj.
Protost.

E spen-

dein suos libros discipulis testando, quod illos ex inspiratione divina scripserint, quod quidem testimonium miraculis confirmarunt. Et sic res a primis Christianis ad nos usque fuit propagata. Obponit hic Töllner in suo opere de divina inspirat. S. Script. negari quidem non posse, quod Patres hoc ab Apostolis testimonium accipere potuerint, sed quod reapse acceperint probari non posse. Sed mirum est virum eruditum hic se torquere adeo. Nam hoc ipso, quod omnes Patres testentur, libros N. T. ex inspiratione divina fuisse conscriptos, patet, quod id ipsa hauserint ab Apostolis, cum nulla alia via superfit, in notitiam hujus veritatis deveniendi: quæ enim effugia ipse in cit. libr. adducit, nullo verisimili argumento nituntur, atque ultra limites conjecturæ non adsurgunt. Stattlerus, ut hanc difficultatem solveret ad judicium infallibile Ecclesiæ confugit, silendo de traditione. Sed quid si Protestans rationes peteret, cur Ecclesia tulerit hoc judicium? Quamnam pro fundamento daremus, nisi traditionem Ecclesiæ? Traditio igitur hoc loco non est prætermittenda. Equidem scio Stattlerum traditionem ut incertam in hac re traducere; sed hoc ipsum est, in quo fallitur, semper enim major Ecclesiæ pars libros etiam deutero-canonicos, ut divinitus inspiratos venerata est, neque obstant pauci Patres, qui canonem Hebræorum secuti, illos in canone prætermiserunt; nam non ex uno aut altero Patre res dimetienda est, sed ex consensu plurium, illustriorum, qui certam rei notitiam habuerunt. Moralis autem universalis Patrum consensus semper circa hanc rem extitit, ut demonstrant Schaaf, lib. cit. de can. script. Goldhagen in introduct. in S. Script. Caus. lib. cit. cap. IX.

spendio salutis est necessarium. Alii urgent consilium quoddam commune in Ss. Scriptoribus, quod sine concursu Dei supernaturali concipi non posset: addunt cæteras exquisitæ cujusdam perfectionis notas circa rerum delectum in historicis narrationibus, circa brevitatem, simplicitatem, nobilitatem styli, ordinem &c. Alii argumentantur a priori hoc modo: Deus, qui doctrinam religionis christianæ primitus revelatione supernaturali nobis revelavit, verisimiliter ex consilio ejusdem suæ sapientiæ pro conservando etiam deinceps in perpetuum hoc pretioso deposito quidquam operatus est, videlicet procurando ejus consignationem per litteras, & omne omnino falsum ab his suo immediato influxu excludendo.

§. XXII.

Refut.

Bella argumenta! sed quorum nuditas statim adparebit, si crassa exterior detrahatur. Nam quod 1. adinet: inane est sophisma. Principia equidem per se evidentiæ non probantur. At scripturam esse tale principium, id est, quod negamus. De principio enim per se evidenti nemo dubitat, de scripturæ autem divinitate plures dubitarunt & adhuc dubitant. (ccc) Quod 2. spectat: equidem verum est, doctrinam scripturæ sacræ efficacem esse ad homines movendos, unde conjecturare licet, hanc doctrinam habere Deum authorem; verum quomodo inde sequatur hujus vel illius libri in specie divinitas, aut inspiratio ipsa non video. Quot enim religiosos libros habemus, qui summo pietatis in Deum adfectu & virtutis sensu animos mire tangunt, & tamen nonnisi mere humanitus scripti sunt? (ddd) Ad 3. deberent Protestantes probare, quod consilii communis concordia excedat providentiam Dei naturalem, industriam prudentiamque hominum, hoc autem probare ne-

(ccc) Sic veteres quidam Patres Hilarius, Epiphanius dubitarunt de libris deuterocanoniciis. Sic Lutherus ipse dubitavit de Apocalypsi & Epist. Jacobi, de aliis hæsit Beza: & summæ hodie sunt concertationes Protestantium etiam de protocanoniciis. vid. Schaaf lib. cit. de can. script.

(ddd) Id ipsum quidam fatentur Protestantes. Sic Michaelis in seiner Orientalischen und exegetischen Bibliothek part. 2. pag. 183. ita discurret: „Ich muß

nequeunt. Delectus rerum fere in particulari cujusque scriptoris fine & occasione facile intelligitur. Historica narratio sermonum Christi longiorum tam dissimilis est in Evangelistis, tam subinde contracta in synoplin, nec uno relata nexu, ut naturalem eorum memoriam saltim aperte non excedat. Forte commodo aliqua adnotarunt, aliqua ipso usu, repetitione inter se prædicatione sapius iterata, profundius & ordinatius memoriæ impressere. (eee) Ad 4. patet hoc argumentum ad summum probare, quod scriptores sacros Deus ipse direxerit in dogmatis a Christo revelatis veraciter describendis; quin integer contextus divinitus scriptus esse subponi debeat; uti decreta conciliorum de fide divina esse possunt; quin argumenta omnia sint divinæ fidei. Sed ne hoc quidem determinate probat argumentum adlatum; sed solum indeterminate evincit, necessarium fuisse, ut Christus de aliquo sufficiente medio, conservandæ in perpetuum suæ doctrinæ a se semel traditæ, Ecclesiæ provideret. Hoc autem medium, cum aliud non adignent Protestantes, est traditio Ecclesiæ.

E 2

§. XXIII.

„muss geschehen, daß ich niemals etwas empfunden, daß ich bona fide testimonium Spiritus S. nennen kann; ich finde mich durch manche Lieder eben so gerührt, als wenn ich in der Bibel lese.“ Imo nonnulli scripturæ libri apti sunt ad tentationes homini injiciendas v. g. canticum canticorum &c. Demum illud testimonium sane habuit Lutherus vir fidelis & regentus, & tamen rejecit Apocalypsin &c. Ergo testimonium illud est fallibile. Excipit quidem Schmidius, testimonium Spiritus S. neminem cogere ad adfensum; dubitare igitur potuisse Lutherum de illis libris, præsertim cum nondum convictus fuerit de certitudine illorum historica. Verum dato hoc, quæro, utrum testimonium illud sit discernibile vel non? Si non est discernibile, ergo nihil juvat, & est inutile. Si autem est discernibile, ergo Lutherus voci divinæ non obtemperavit, consequenter non potuit esse instrumentum reformationis. Quod veritatem historicam adinet, frustra huic testimonium Spiritus S. adfigitur, cum Deus hoc testimonio homines extraordinarie doceat. Et sane hoc testimonium saltim apud rudes debet esse independens a certitudine historica, cum illi nequeant habere certitudinem historicam, ergo saltem apud illos argumentum Schmidii nihil valet. Idem systema enervat Töllner, cujus argumenta vid. in seinem Tractat: Wahre Urfach, warum Gott seine Religion nicht mit augenscheinlichen Gründen versehen hat.

(eee) Conf, Stattler lib. cit, §, 21.



§. XXIII.

Argum. V.
ex Syll.
Prot.

Mirari sane licet, Protestantes adeo reluctari traditionibus oralibus; cum ipsi dogmata admittant necessario credenda, quæ nullo valido argumento ex scriptura probare possunt. Sic credunt nobiscum, in baptismo pronuncianda esse verba illa: ego te baptizo in nomine Patris &c. quæ formam Sacramenti conficiant. Sed ubinam scriptura id clare exprimit? (fff) Item credunt nobiscum baptisma semel conlatum non esse iterandum, hæreticos valide administrare hoc Sacramentum, parvulos esse baptisandos. Dogmata hæc Ecclesiæ necessaria sunt, sed ex scriptura probari nequeunt, uti Augustinus ipse, qui diu in hac materia contra Donatistas versatus fuit, fatetur. (ggg) Nisi ergo traditionem oralem Protestantes admittant, nunquam ex hoc nodo se extricabunt. (hhh)

PARS

(fff) Ajunt quidem forma determinata habetur Math. 28. Sed aliud est, quidquam in nomine Dei facere, aliud, quando quid agimus, pronuncian- da esse quædam verba. Illud scriptura præcipit, non autem hoc. Sic legi- tur in Script: „ Siquid petieritis apud Patrem in nomine meo, dabit vobis. „ Sed nemo exinde infert, quod, quando petimus quid a Patre, expresse di- cere debeamus: peto id a te, Pater! in nomine Christi.

(ggg) Argumentantur hic Protestantes, Deum velle omnes salvos fieri; sed nisi baptismus parvulis esset conferendus, non posset concipi, quomodo Deus illorum salutem vellet. Ast hoc ratiocinium Theologicum est, quod non sufficit ad dogma fundandum.

(hhh) Adducunt adhuc Wallenburch alia dogmata, ex quibus traditionem ora- lem stabilire volunt v. g. processionem Spiritus S. a Patre & Filio, uni- cam hypostasin in Christo, legem abstinendi a subfocato & sanguine. Sed licet duo priora dogmata evidentibus ex scriptura argumentis deduci neque- ant, possunt tamen sat validis & firmis exinde crui, id quod Theologi huc- usque satis strenue contra Socinianos præstitere, adeoque ad summum ne- cessitas traditionis declarativæ inde sequitur; non autem mere-oralis. Quod ad legem adlatam adinet, bene monet Frankius, quod conligi possit finis hujus legis ex scriptura, qui cum hodie cesset, etiam ipsa lex cessare debet.

P.A.R.S II.
CERTITUDO TRADITIONUM
DIVINARUM.

§. I.

Evicta traditionum divinarum existentia, novum adhuc cum Pro-
 testantibus certamen ineundum est. Negant enim, hodie no-
 bis de traditionibus certo constare, fingunt Ecclesiam catholicam
 non raro defecisse, & sic dogmata Evangelio obposita fuisse intro-
 ducta. Ostendenda igitur adhuc superest traditionum divinarum
 certitudo. Quod, ut eo facilius præstemus, quasdam positiones,
 e quibus hæc materia dependet, præmittemus.


Protestan-
tes negant
certit.
trad.
divo

§. II.

Apostoli traditiones divinas Ecclesiis, quas fundarunt, & earum
rectoribus commiserunt. Positio hæc constat ex S. litteris, ubi non
 semel Timothæo suo præcipit Apostolus, ut doctrinam, quam ei
 commiserat, tanquam pretiosissimum quoddam depositum custodi-
 ret. „ O Timothee, inquit, depositum custodi. „ 1. ad Tim.
 cap. 6. v. 20. Et rursus „ Formam habe sanorum verborum, quæ
 „ a me audisti . . . bonum depositum custodi. „ 2. ad Timoth.
 cap. 1. v. 13. & 14. Neque mandat solum, ut illud custodiat,
 sed etiam ut illud committat fidelibus hominibus, qui idonei sunt,
 ut aliis illud tradant 2. ad Tim. c. 2, v. 2. Porro sicut Timo-
 theo, ita & aliis, quos constituit, Episcopis idem depositum Apo-
 stolus commiserat, & quod suis Paulus, idem Apostoli demanda-
 runt illis, quos Ecclesiis per totum orbem dispersis cum potestate
 præfecerunt. Eandem veritatem omnes Patres, & scriptores ec-
 clesiastici testantur. (a) Et sane cum Protestantes nobiscum ad-
 mit-

Traditiono.
div. apud
Eccles. ap-
fuerunt de-
positæ.

(a) Inter cæteros eminet Irenæus lib. III. advers. hæres, ubi inquit: „ Non
 oportet apud alios veritatem quærere, quam facile est ab Ecclesia sumere;
 cum



mittant, nullam post tempora Apostolorum Ecclesiae factam fuisse novam revelationem; debent eo ipso admittere, ab Apostolis apud Ecclesias depositam fuisse omnem doctrinam, quae ipsis usque ad consummationem seculi necessaria erat, tum ut ex ea fides ac mores fidelium formarentur, tum ut illorum errores condemnarentur, qui fidei morumque puritatem conrumpere student. Si autem omnis ista doctrina ab Apostolis apud Ecclesiam fuerit deposita; sequitur etiam depositas fuisse traditiones divinas, verbo Dei scripto non expressas; cum sine his nec fides & mores fidelium satis formari, nec haereticorum errores satis condemnari potuerint. Constat quippe ex part. 1. §. XX. non posse sine traditione definiri, qui libri sint sacri, aut quis librorum sacrorum sit sensus, aliaque plurima, quae ad fidem moresque imprimis pertinent, & de quibus libri sacri ne mentionem quidem faciunt.

§. III.

Ecclesiarum
illas dili-
genter cu-
stodierunt.

Ecclesiae apostolicae traditiones divinas, quas ab Apostolis accepere, diligenter custodierunt, & ad nos usque transmisserunt. Veritas haec pariter liquida est ex historia ecclesiastica, ex qua constat, primis Christianis persuasum fuisse, nihil posse addi vel detrahi doctrinae ab Apostolis sibi communicatae. (b) Et hic mos non


„ cum Apostoli quasi in depositum dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis: ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum
 „ vitæ: hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiarum cum summa diligentia diligere, & adprehendere veritatis traditionem. Quid enim? etsi quibus de aliqua modica quaestione disceptatio esset; nonne oportet & in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus
 „ Apostoli conversati sunt: & ab eis de presenti quaestione quod certum & liquidum est, recipere? Quid autem si ne Apostoli quidem scripturas nobis reliquissent, an non oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? „ Plura testimonia in hanc rem vid. apud Natal. differt. cit.

(b) Vid. Tertull. lib. 3, de præscript. c. 21.

non uno seculo, sed semper in Ecclesia invaluit. Quod de fidelibus, id multo magis de Pastoribus verum est. Hi enim statim omni novitati resistebant, & ad fidem Ecclesiarum apostolicarum provocarunt. (c) Nihil eos movere poterat, non carceres, non rotæ, non gladii, aut persecutio quacunque: nullam Simulationem sibi in hac re licitam putabant, quamvis summos sibi Principes obpositos invenirent. Doctrinam sic custoditam Successores Apostolorum ad nos usque transmiserunt. Ut enim de cæteris Apostolis nihil dicamus, vel solius Joannis Evangelistæ, ac S. Polycarpi ejus discipuli vitæ diurnitas effecit, ut doctrina tradita deveniret ad S. Irenæum, qui & ipsam conservabat solícite, ac porro transmittabat, dies suos trahens usque ad finem secundi seculi. Deinceps Clemens Alexandrinus magistris usus, qui Apostolos viderant, magnam doctrinæ traditæ partem scriptis consignavit in libr. stromat. pædagog. & aliis. Et quia eadem Dei providentia per infrequentium intervalla temporum alios nobis Ss. Doctores dedit, quibus eadem cura fuit depositam apud se doctrinam ad successores transmittere, dubitare non possumus traditiones divinas ad nos usque fuisse legitime propagatas. Et sane si traditiones humanæ de nobilitate aut gestis majorum per plura secula conservantur in fami-

mi-


(c) Hoc constat ex Irenæo, Tertulliano, Origine, Augustino & aliis. Præcipue huc facit locus Tertull. lib. cit. c. 22. , ubi ait: „ Si hæc ita sunt, „ constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis ma- „ tricibus & originalibus conspirat, veritati deputandam, id sine dubio te- „ nentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo „ suscepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicantem, „ quæ sapiat contra veritatem & Ecclesiarum & Apostolorum & Christi & „ Dei. Superest ergo, ut demonstremus an hæc nostra doctrina, cujus re- „ gulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc „ ipso, quod cætera de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis „ apostolicis, quod nulla doctrina diversa, hoc est testimonium veritatis. „ Ex his ergo patet summo semper in honore habitas fuisse Ecclesias Apосто- „ licas, eoquod nonnisi veram doctrinam continerent, eamque tanquam præ- „ ciosissimum depositum custodirent.



miliis; cur mirum nos subeat, traditiones divinas conservatas per plura secula in Ecclesia fuisse. Quod enim præstant nobiles, eorumque successores, ut conservent traditiones de familiarum suarum nobilitate; id multo diligentius multoque copiosius præstitere olim Apostoli & eorum successores, præstantque hodie, qui illorum locum tenent, Episcopi. (d)

§. IV.

(d) Id ipsum magis adhuc in luce conlocatur, si consideremus media, quæ adhibuit Ecclesia ad doctrinam ab Apostolis acceptam propagandam. Hæc autem sunt 1. continua pastorum successio & instructio. Sane si certæ personæ sint deputatæ ad doctrinam ex professo propagandam, tum aptissimum habetur medium veritatis alicujus transmittendæ. 2. Scripta Patrum & monumenta conciliorum. Enimvero quemadmodum ipsis Apostolorum temporibus variæ occasiones natæ sunt, quibus ipsi debuerunt doctrinam solo verbo prius ab se traditam, scripto committere; ita succedentibus temporibus sæpius necessarium erat, ut idem præstaretur ab Patribus & conciliis. 3. Usus frequens ac quotidianus illius doctrinæ. Patet in exemplis: frequentantur quotidie in Ecclesia septem Sacramenta, adhibita certa materia & forma, variisque in administrando ritibus: oratur quotidie & suffragia obferuntur pro defunctis; invocantur & coluntur Sancti, reliquiis defertur veneratio, obfertur missæ sacrificium, adoratur Eucharistica &c. Atqui in hisce solus usus ac frequentatio obtinuit, ut ab Apostolis ad nos usque custodirentur; facillimumque erit hanc viam deinceps iterando eadem custodire usque ad finem mundi. 4. Fuit symbolum Apostolorum, & alia ad majorem hujus explicationem condita. Hoc symbolum summa cum reverentia ab omnibus fuit susceptum & norma erat sacra, a qua nemo discedere fuit ausus: in susceptione baptismi professio ejus erat edenda, & alibi frequens ejus ratio fuit habita. Cum autem sola symboli verba non sufficerent, traditione declarativa opus fuit, ut determinatus sensus mentibus Christianorum inhæreret. Hinc Pastores quotidie illud explicabant, ut eo firmiter illius sensum teneret populus christianus. 5. Est ipsa Dei providentia. Quamvis enim illa adminicula humana sufficerent ad doctrinam fidei propagandam: quoniam tamen in hoc statu naturæ lapsæ innumerabilia sunt, quæ ad easdem abolendas conspirant; vigilat omniscius Dei oculus, ut ne illa pessum eat, sed admirabili illius cura ad seculi consummationem perduret,



§. IV.

Traditiones divinæ apud Ecclesias apostolicas semel depositæ non potuerunt amplius obliterari, inmutari, aut illis contraria induci. Non primum: nam summe improbable seu potius impossibile est, extensas hominum multitudines, & variarum gentium ac nationum societates omnes universim a veritatis traditæ narratione desistere, ac inde rei tradendæ fidem & cognitionem deperire, præsertim in materia practica religionis, in materia, ex qua æterna salus dependet. Sane hoc omnem fidem superat, nec ulla historia nobis tale exemplum exhibet. Non secundum: si enim mutatio aliqua contigisset, ergo vel simul & semel, vel successive. Neutrum fieri potuit. Non 1. deberemus enim fingere totum orbem subito fuisse mutatum, homines diversæ indolis, nationis, studii in fraudem simul conspirasse, nullum secretum prodidisse: quæ omnia quam absurda sint, nemo non videt. Neque 2. talis enim successiva mutatio vel fuisset sensibilis, vel insensibilis. Si sensibilis, ergo fuisset adnotata in monumentis ecclesiasticis, epocha, auctores &c fuissent indicati; cum minora adhuc historia eccles. ad nos transmiserit. Nihil autem tale Protestantes adducere possunt. Si insensibilis contigit hæc mutatio, ergo debemus subponere, omnes fideles, omnes Pastores fuisse negligentes in doctrina sibi tradita conservanda, atque fatali lethargo fuisse inmersos. Quis autem credat tot fervidos fideles, tot inlustres Ecclesiæ Præsules tam in Oriente, quam in Occidente adeo omnem erga traditiones ab Apostolis acceptas reverentiam deposuisse, ut illas plane neglectui darent? Imo si etiam daremus in aliqua provincia, in aliqua natione ejusmodi mutationem ob incuriam Pastorum potuisse insensibiliter & furtive introduci, tamen insanus foret, qui idipsum de corpore totius Ecclesiæ undique difuso vel cogitare vellet. Non tertium: certum enim est, omnem opinionum & sententiarum vicissitudinem evenire, vel ex rationibus & argumentis vere fortioribus in ordine ad magnam hominum societatem, vel ex superioris alicujus auctoritatis potestate & violentia. Primum impossibile est, dum argumenta veritati contraria fortiora esse nequeant, quam ea, quæ ipsi fa-

Hæ tradi-
tiones nulli
vicissitudi-
ni erant
obnoxie.

vent. Fallaces autem ratiocinationes apud humanum genus nunquam possunt universim prævalere. Inaniter itaque & impudenter jactitant nostri temporis hæretici, Ecclesiam universam manifestissimorum errorum ex scripturis sacris argui & evinci posse. Hoc etenim idem est dicere, ac Catholicos omnes per universum orbem vel prorsus mente captos & stupidos esse, vel penitus obstinatos & perversos, qui in tanta evidentia cacutiunt: quod autem inter tot hominum millia, nemo intellectu communi & mediocri præditus inveniretur, ubi tot pii & eruditi sunt viri, a ratione nimis alienum est adferere. Secundum etiam impossibile est accidere. Sit etenim auctoritas seu potestas quanta fingi possit; det operam omnibus artibus & mediis, veram religionis fidem ut exterminet: frustranea primo forent omnia sophismata. Tot enim docti & periti per tot regiones diffitas & diversas reperirentur, qui veram Ecclesie fidem integram & incolumem servarent, & fraudulentas novatorum argutias detegerent. Deinde excogitari nequit, vim aliquam vel violentiam inveniri adeo debitis conditionibus & circumstantiis armatam, quæ per orbem universum prodigiosum hunc & sceleratum procrearet effectum. Totumne occuparet terrarum orbem? Nullamne timeret ab Imperio suo & jurisdictione discessionem? semperne perseveraret impia hæc & vehemens animi perturbatio, veram extirpandi falsamque stabiliendi religionem? Num ministros fidelissimos ubique terrarum inveniret? Ac tandem etiam si hoc effecisset, nonne adhuc superstes remaneret memoria & notitia, novum hunc errorem introductum fuisse? Quicumque autem rationis principia sedulo & intrinsece contemplatus fuerit, percipiet evidenter, magnam aliquam & late patentem hominum multitudinem nec spe nec timore in communem manifestæ falsitatis consensum induci posse. (e)

§. V.

(e) Totum hoc argumentum summa cum eloquentia pertractat Holden in *analyfi* fid. lib. I. cap. VIII., ex quo præcipua decerpimus.

§. V.

Transmissio, quæ in Ecclesia semper viguit, est medium infallibile, quod nos certos reddit de existentia traditionum divinarum. Transmissio Ecclesie est medium infallibile. Vi enim hujus transmissionis nihil sustentatum fuit pro veritate catholica & revelata, nisi quod sub hac methodo seu tenore a majoribus receptum, & continuata serie de aure in aurem traditum fuerit ab ipsis Apostolorum temporibus. Hoc autem principio posito apertum est evidentissimo consequio, non potuisse ex una parte in quovis seculo, Catholicos universim dispersos, omnes simul decipi in iis, quæ toties audiverint, & in quibus nutriti ac educati fuerint, ita ut existimare possent, aliquid sibi traditum fuisse ab immediatis suis antecessoribus, illudque recipere veluti revelatum & divinum, quod minime sibi commissum & communicatum fuerat sub hoc titulo; nec etiam ex altera parte potuisse cujusvis ævi catholicos pastores, & privatorum familiarum parentes, omnes universim dis-fusos in sparsas longe regiones, discipulis & liberis suis doctrinam aliquam christianam sub hoc titulo, nimirum revelatam & divinam tradere & communicare, quam ipsi sub hoc eodem titulo non receperant. Cum igitur in quovis seculo utrumque verum sit, consequens est nullum omnino doctrinæ christianæ articulum posse transmitti vel recipi tanquam revelatum & divinum, qui vere talis non fuerit. Et sane transmissio universalis factorum naturalium est medium certum de existentia & veritate eorundem judicandi. Sic credimus extitisse Neronem, Carolum M., & nequidem inquirimus sensum omnium seculorum: sufficit nobis universalis hujus rei persuasio. Populus sine omni monumento scripto id credit, & a nemine levitatis ad-cusatur. Cur ergo ubi de traditionibus divinis agitur, transmissionis earundem certitudinem negare volunt Protestantes? præsertim cum traditio Ecclesiæ tales numeret prærogativas, quas se possidere nulla quæcunque humana traditio sibi blandiri potest. (f)

F 2

§. VI.

(f) Traditio divina a humana pluribus differt. sic 1. nulla existit humana traditio tam diffusa, ac divina. Nulla siquidem terrarum regio, nulla mundi ter-

§. VI.

Formatur
ex his con-
clusio.

Cum igitur traditiones divinæ apud Ecclesias apostolicas depositæ, ab his fideliter absque ulla mutatione & alteratione ad nos transmissæ fuerint, ipsa autem hæc transmissio medium infallibile fit, nos de existentia earundem traditionum certos reddendi, dubitare non possumus, traditiones illas pure ad nos fluxisse. (g)

§. VII.

Ob. I. Pro-
test.

Excipiunt Protestantes, traditionem esse solum testimonium humanum; hoc autem quam maxime errori esse obnoxium. Infidelis, inquit, est & incerta traditio, quod is qui accipit, vel non satis accurate auscultat, vel morbo ætatis, naturæque injuria nonnunquam obliviscitur, vel certe nonnunquam moritur antequam tra-

terrestris plaga, nulla provincia, imo nulla fere civitas, quæ & aliquo tempore de fide nostra christiana non audiverit, quæque veritates nostras revelatas non didicerit. 2. Nulla fuit humana traditio, quæ ne deficeret, ministros habuerit per universum orbem constitutos, qui veritatem rei tradendæ propagarent: habuit autem hos Ecclesia catholica. 3. Nulla traditio humana continuo usu & praxi sic stabilita est, ut traditiones christianæ, quarum quotidie succurrebat memoria, & occasio. Hæreses continuo erant obpugnandæ, Sacramenta quotidie administranda &c. 4. Nulla traditio humana tam forte motivum habuit, quo homines impellerentur ad veritatem aliis communicandam, ac traditio divina, quæ ipsam salutem æternam & cultum Numinis pro motivo habuit. 5. Habet Ecclesia ad propugnandas traditiones divinas promissam infallibilitatem & adstantiam Spiritus S., id quod in tradendis factis naturalibus deficit.

(g) Imo si hæ traditiones essent incertæ, vel ipsa authentia librorum sacrorum incerta effet. Nam argumenta quæcunque, quæ Protestantes pro his adferunt, etiam pugnant pro traditionis certitudine & firmitate; quin ab initio magis universalis fuit diffusio traditionum divinarum quam scripturæ, ut pote quæ successu temporis devoluta fuit ad Ecclesias, præcipue si sermo sit de libris deuterocanonicis.

tradat accepta. Ea etiam, quæ de aure in aurem transeunt, aut in dies majora fiunt, aut eadem profecto non perseverant, sed mutatis auribus permutantur; quin etiam pereunt, nisi ea litterarum monumenta conservent. Adcedit, quod traditio sit erroris latibulum: sic omnes illi, qui errarunt in Ecclesia, ad traditionis auctoritatem confugerunt, suoque errori in ea patrocinium quæsierunt, ut testatur Euseb. lib. 3. hist. c. ult. (h)

§. VIII.

Sed inania hæc terriculamenta sunt, quæ cordatum Catholici- Refutatur.
cum minime movebunt. Nam quod primum spectat: traditio non est Patrum sive Ecclesiæ testimonium, sed est doctrina, quam Apostolis a Deo revelatam esse, atque ab his sibi traditam Patres vel Ecclesia testantur: & hoc quidem testimonium subjective sumtum prorsus humanum est: verum idem testimonium objective consideratum, seu ipsa doctrina, de qua testimonium perhibetur, est divina, utpote a Deo Apostolis revelata. Tametsi autem hoc testimonium sit humanum, nihilominus moraliter impossibile est, ut sit falsum: si enim tam innumerabilium hominum, eorumque præstantissimorum per tot sæcula absque ulla mutatione propagata adtestatio falsi suspitione laborare ullo modo posset; jam nutaret inter homines omnis fides humana, parique ratione dubitare possemus de iis omnibus, de quibus hæctenus moralem certitudinem tenentes, tam parum de ipsis dubitavimus, quam parum de sole lucente in meridie dubitamus. Quod secundum adinet: ridiculum sane est cre-

F 3

de-

(h) Magno cum strepitu hic exponunt errorem de regno millenariorum, quem nuda prædicationis voce ad se pervenisse testatur Papias: figmenta Marcionis, qui se instructum dixit a Mathiæ discipulis teste Clement. Alex. lib. 6. fromat: deliria Artemonis, qui contra divinitatem Christi traditionem adlegabat, quam ab Apostolis usque ad Victorem II. Pontificem viguisse adferuit: factum Africanorum, qui una cum Cypriano ad traditionem provocarunt. Atque hæc sunt momenta, quæ Chemnitium moverunt, ut scriberet, traditionem esse velut Pandoraæ pixidem, cujus operculo omne genus superstitionum & abusuum in Ecclesiam introductum fuerit,

dere, traditiones divinas non eadem fide ac diligentia posse in fidelium cordibus adservari, ac si in papyro scriberentur. Quod si enim providentia Ecclesiae christianae deest, tum vero nec traditiones divinas adservatas, nec certam esse scripturae auctoritatem defendimus. Utraque enim sine procuratione Dei non constat, quam si tollas, neque scriptura neque traditio vindicatur. Sed si Christo curae Ecclesia sua est; jam non erit ambiguum, quin quemadmodum scripturam, ita & traditiones divinas custodiat. Quam demum solliciti fuerint Pastores in Ecclesiae traditionibus conservandis & ad feram posteritatem propagandis §. III. part. II. ostendit. Quod tertium tangit: omnia haec facta non plus probant, quam personas privatas abusus fuisse traditionibus, iisque homines abuti posse, minime vero exinde sequitur, auctoritatem traditionis legitimae rejiciendam esse. Nam haeretici omni tempore ad sua dogmata stabilienda provocarunt ad scripturam, illa abutentes, teste Aug. tract. 18. in Joan. c. 33. Nemo tamen inde deducet, scripturam propterea esse rejiciendam: ergo a pari ex eo, quod privati quidam homines traditione abusi fuerint, non sequitur, omnem traditionem esse rejiciendam. Non erat illorum traditio moraliter disfusa apud omnes fideles, non descendebat usque ad Ecclesias apostolicas, imo verae Ecclesiae traditioni erat contraria; unde mirum non est illos, qui fundamento ruinoso innitebantur, in gravissimos errores prolapsos fuisse.

§. IX.

Obj. II. Instat Boehmerus, (i) & originem traditionum se invenisse gloriatur seculo II., ubi cum haeretici secundi seculi ad traditionem confugerent, etiam Catholici suas adlegarunt. Id probat ex Irenaeo lib. 3. adv. haeres. c. 2., ubi sic habet: „ Cum ex scriptura „ arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum „ quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varia sunt dicta, & quia ex his veritas non posset inveniri; non „ enim per litteras traditam, sed per vivam vocem sequuntur. „

Ex

(i) Differt. 9. de vet. Eccles. statu §. 12.

Ex his ulterius infert, ut Catholici suas formarent traditiones, auctoritatem sibi vindicasse Ecclesiarum apostolicarum, Antiochenæ, Romanæ, Alexandrinæ &c. Interim facile ostendi posse, eas traditiones instabiles esse: quamvis enim magnam præsumtionem veritatis & doctrinæ apostolicæ illæ Ecclesiæ præferant; ineluctabile tamen inde erui posse argumentum negat, & hinc Patres frustra se fundasse in illarum Ecclesiarum auctoritate. Ulterius quam incertæ sint traditiones, vel ex ipso diffidio inter Asiaticos & Victorem Rom. Pontificem circa celebrationem paschatis patere, adserit.

§. X.

Sed falsissima sunt omnia, quæ obgerit Boehmerus. Nam quod primo obmovit, probavimus ante Evangelium scriptum Christum & Apostolos traditionem oretenus propagasse, integrasque Ecclesias ante dimidium seculi secundi non alio principio nisi traditione nixas & rectas fuisse part. I §. XV. & XVI. Testimonium Irenæi admittimus, sed quid inde possit inferre Boehmerus, non cerno. Id solum inde sequitur, Catholicos tunc occasione novorum errorum provocasse ad traditiones, easque solícite expendisse, & sic obscuras & spurias traditiones hæreticorum auctoritate traditionum Ecclesiarum apostolicarum refutasse. Absurdum est, in traditionibus fingendis conspirasse Patres diversæ nationis, indolis & studii. Nemi melius constare potuit de existentia traditionum divinarum, quam iis ipsis Patribus, unde optimo jure ad auctoritatem Ecclesiarum apostolicarum provocabant, ubi depositæ fuerunt. Quoad illud diffidium inter Ecclesiam romanam & asiaticam merum Sophisma est: inquirimus enim traditiones dogmaticas & morales, non disciplinares; sed ea controversia mere disciplinaris fuit, & neque Romani neque Asiatici putarunt, hic controversiam fidei intercedere. (k) Asiatici provocabant ad traditionem Joannis Apostoli:
Ro-

Refutatur.

(k) Obstat videtur, quod Quartodecimani ut hæretici habiti fuerint, adeoque quod de dogmate fuerit controversia. Sed fuerunt tantum hæretici in sensu

Romani ad suos fundatores Petrum & Paulum. Utraque pars verum dicere potuit, in disciplinariis enim diversa ex diversis motivis introduci potuerunt. Potuit enim Joannes ecclesiasticæ œconomiae causa more judæorum celebrasse pascha die 13. lunæ; sed Petro & Paulo apud gentiles hæc œconomia non erat necessaria, unde in utriusque partis traditione nihil falsi habetur.

§. XI.

Obj. III. Urget ulterius Massius sec. præced. Prof. Theolog. Copenhagæ: ipsi Catholici non habent certam scientiam traditionum, cum circa ipsas traditiones eorum Theologi digladiantur. Sic Richardus Simon in libr. de ceremon. jud. ipse ait: „ Non est habenda fides principio judæorum: hæc est decisio in monte Sinai recepta. „ Nec etiam semper Theologis credendum dicentibus: hæc est traditio apostolica, ex ratione, quia hæc duo principia non sunt „ certa. quia a primis jam temporibus fuere, qui nomen traditionis tribuerunt traditionibus falsis.

§. XII.

Refutatur. Sed mirum est, virum eruditum in Theologos nostros invehere. Nulla etenim dissidia illi fovent circa traditionum divinarum existentiam earumque certitudinem. Omnes enim Catholici conveniunt, quod omnia dogmata, quæ hodie tenet Ecclesia, ex traditione proveniant. Solum in eo discrepant, an ea dogmata ex sola traditione prominent

sensu latiori scilicet quod separatam sectam hac sua agendi ratione constituerint. Epiphanius expresse testatur, eos haud fuisse proprie hæreticos. Demum quod potissimum est, habebantur hæretici post concilium Nicænum, ubi præsumebatur, illos inhærere huic ritui ex persuasione, quod necessario retinendi essent ritus judæorum, uti tunc variae sectæ adfirmabant. Confer. Natal Alex tom. 3. dissert. 27. Hinc colliges male consuluisse Bellarminum traditioni divinæ, eum ad eam stabiliendam hoc exemplum adduxit.

) o (

nent ita, ut non simul ex scriptura probari queant. Et hoc quidem dissidium, an hoc vel illud dogma simul possit ex scriptura probari innocens est & dependet a discussione scripturæ. Sic v. g. qui negant ex scriptura deduci posse, matrimonium esse Sacramentum, ad traditionem provocant, qui contrarium tenent, traditionem non respuunt, sed tantum volunt eam non esse mere-oralem, cum dogma hoc simul ex scriptura probari possit. Sufficit igitur, Theologos nostros convenire in quibusdam dogmatis ex sola traditione probandis, & tum sua jam traditioni mere-orali constat auctoritas. In his autem eos convenire supra de divinitate scripturæ, de validitate baptismi ab hæretico conlati &c. vidimus. Conf. §. XVIII. seq. Disconveniunt etiam Theologi circa conclusiones quasdam remotiores ex traditione firmandas v. g. Augustiniani, Thomistæ, Molinistæ de gratia efficaci &c. Sed ipsi fatentur non esse dogmata ad fidem pertinentia. Permittuntur ab Ecclesia hæc dissidia, quia non directe versantur circa traditiones divinas. Ad Richardum Sim. (1) quod adinet, ipse in citato libro nihil aliud voluit innuere, quam non omnes judæorum sententias, dum provocant ad varias consuetudines ex traditione mosaica, satis esse firmas, & sic etiam aliquando quosdam Catholicos provocare ad traditiones tam circa ritus, quam circa sententias aliis Catholicis contrarias, qua in re statim privatis illis non esset credendum.

G

§. XIII.

(1) Mirum est, quod hunc Massius objiciat. Respicere enim debuisset ad ejus historiam criticam N. T., ubi cap. 1. evidenter probat, Protestantes non posse probare scripturam, & sensum circa dogmata plura determinari non posse absque traditionibus divinis. Alii Protestantes id diffiteri nequeunt: hinc Semler Theolog. Hallensis necessarium duxit, notas adjungere ejus Historiæ criticæ, ne juniores Protestantes ejus principiis de traditione imbuerentur. Et revera Protestantes nunquam solvent objectiones, quas eis de traditionis necessitate facit Richardus, qui potius in hac materia excessisse videtur, rejiciendo etiam claros scripturæ textus, ad solam traditionem confugiendo.

§. XIII.

Obj. ult. At quid prohibet, instant, constitutum aliquod ecclesiasticum in revelatum transire, & pro revelato haberi? Christiana etenim doctrina indistincte & promiscue docetur, praesertim cum Ecclesia nunquam catalogum traditionum suarum exhibuerit. **Refutatur.** Verum si de rudibus sermo sit haud multum refert, quid respondeatur; nam modo vera sint, quae traduntur, parum interest populi fidelis, an haec distinguantur: sufficit, haec facile posse ab Ecclesiae Pastoribus & Theologis secerni. Ecclesia exhibens catalogum dogmatum fidei in professionibus & libris symbolicis, etiam exhibet catalogum traditionum divinarum; cum omnia illa dogmata in traditione fundentur: separatim catalogum si Ecclesia vellet exhibere, deberet totam scripturam discutere, an dogma, quod tenet, non etiam solido argumento ex scriptura deduci posset, qui labor frustraneus, & otiosus foret. Non tam abstracte procedit Ecclesia: sufficit, quod certa sit de suis dogmatis, quae in traditione fundantur. Hanc abstractionem traditionum mere-oralium, quae plane nullum in scriptura habeant fundamentum invexerunt Theologi, qui pro & contra salva fide de hac quaestione scolastica pertractant. Firma ergo manet traditionum divinarum existentia & certitudo. Superest nunc, ut de characteribus quibus traditiones divinae a quibuscunque aliis secernantur, agamus, quod objectum adhuc tertiae partis praesentis dissertationis erit.



PARS III.
CARACTERES TRADITIONUM
DIVINARUM.

§. I.

Ecclēsiā esse iudicem traditionum divinarum quidquid contra sentiant Protestantes, apud omnes Catholicos indubitata res est. Cum etenim traditiones divinæ ab Apostolis apud Ecclesiam sint depositæ part. II, §. II., & ab ea fideliter custodiantur §. III.; ad eandem procul dubio, cum de traditione quæstio nascitur, pertinet iudicium ferre, utrum vera sit, vel non. Verum enim vero cum Ecclesia sicut olim Apostoli a Deo revelationem amplius non accipiat, mediis quibusdam humanis prius rem discutere debet, quam ad sententiam definitivam procedat. Nimirum ita se Deus Ecclesiæ suæ semper adfuturum esse promisit; ut tamen, quia hominibus constat, humanas operas admittere statueret, neque Ecclesiæ ministros ab iisdem dispensare ullatenus vellet. Versatur itaque Ecclesia in hoc negotio omnium ponderosissimo ad eum modum, quo in summi momenti rebus versandum esse sana ratio jubet, ac prudentia dicitur. Excitat igitur testes idoneos omnes ac locupletes, quorum dum testimonia, testimoniorumque consensum explorat, unaque sedulo praxin, consuetudines observantiamque Ecclesiarum inquirat; demum procedit ad enunciandam de traditionis veritate aut falsitate sententiam.

*Ecclesia in
dijudican-
dis tradit.
div. mediis
humanis
uti debet.*

§. II.

Ex hisce igitur patet, Ecclesiæ certas quasdam regulas præsto esse debere, quarum adminiculo traditiones veræ a falsis cum certitudine discerni queant. Has regulas Theologi vocant caracteres traditionum. (a) Sunt autem eorum alii negativi, alii positivi.


*Definitio
& divisio
caracterum*

G 2

Ne-

(a) Nullam idoneam regulam, cujus ope traditiones veræ a falsis discerni queant, assignare nos posse contendit Basnage Anal. polit. tom. II, dissert. 9.

Quam



Negativi sunt illi, qui si interveniant, conligitur, non adesse traditionem divinam. Positivi, qui si adsint, jure infertur, subesse traditionem divinam.

§. III.

Caracteres negativi sunt sequentes:

Caracteres
negativi.

I. *Traditio quæcunque, si sacræ scripturæ manifeste contrarietur, non est divina.* Ratio evidens est: scriptura enim est verbum Dei, si ergo illius sensus sit manifestus, & traditio contra hunc sensum pugnet, Deus ipse sibi deberet esse contrarius, quod absurdum est.

II. *Traditio contraria traditioni cerio divinæ pariter non est divina: ex eadem ratione.*

III. *Omnis traditio sensui communi Patrum & Ecclesiæ definitioni contraria, rursus non est divina.* Ecclesia enim ex promissionibus divinis errori non est obnoxia, Patres autem sunt testes traditionis divinæ, quos Ecclesia sequitur; unde eadem nasceretur obpositio.

IV. *Traditio, de cujus origine constat post tempora Apostolorum, non est divina.* Ecclesia enim non recipit novas revelationes, cum Christus & Spiritus S. Apostolos docuerint omnia, quæ ad salutem animarum, & regimen Ecclesiæ sunt necessaria, (b)

V.

Quam autem finistre hoc effutiat, vel ipsæ regulæ traditionum a nobis adsignanda docebunt.

(b) Salmeron quidem cum nonnullis aliis tenuit Ecclesiam novis revelationibus indigere ad controversias fidei definiendas. Sed horum sententia repugnat scripturæ & Patribus, & hodie a nullo amplius Theologo defenditur. vid. Epist. ad Galat. c. i. v. 8. ad Ephes. c. II. v. 20. Matth. 28. v. 20. Joann. 14. v. 26. Tertull. lib. de præscript. c. 20. Epiphani. hæres. 55. Hieron. in psalm. 87.


V. Traditio, circa quam Ecclesie insignes aequaliter sunt divisae, non est certo divina. Testimonia enim aequalia se mutuo elidunt, nec superest criterium de certitudine facti, si adsint testimonia omnino aequalia, judicandi.

§. IV.

Quod characteres positivos adinet, praclare se hac in re commendat Vincentius Lirin. in suo conmonitorio, ubi ita differit:

„ In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia vere & universaliter comprehendit; sed hoc ita demum fit; si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem: sequimur autem universalitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fatemur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos Majores nostros ac PP. celebrasse manifestum est: consensionem quoque, si in ipsa vetustate hominum vel certe pene omnium Sacerdotum pariter ac Magistrorum opiniones sententiasque sectemur. Quid igitur faceret Christianus, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione resciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quodsi novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totum pariter Ecclesiam conmaculare conetur? Sane idem providebit, ut antiquitati inhaereat, quia prorsus jam non potest ab illa novitatis fraude seduci, quid si in ipsa vetustate duorum vel trium hominum vel certae veritatis unius aut etiam provinciae alicujus error deprehendatur, tum omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiae, siqua sit, universaliter antiquitus universalis Ecclesiae decreta praeponat? Quodsi tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur, tunc operam dabit, ut conlatas inter se Majorum consulat, interrogetque sententias eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus & in locis in unius tamen Ecclesiae communione & fide permanentes Magistri proba-

Characteres
Positivi ex
Vincen-
tio Lirin.
enf.



„ biles extiterunt, & quidquid non unus, aut duo tantum, sed
 „ omnes pariter uno eodemque sensu aperte, frequenter, perseve-
 „ ranter tenuisse, scripisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque
 „ intelligat absque omni dubitatione credendum. (c) „ Ex hoc tex-
 tu sequentes caracteres magis evolute deducimus.

§. V.

Caracter I. *Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum fuit ut
 revelatum, certissime est revelatum. Etsi non satis clare vel nullo so-
 lido argumento illud ex S. scriptura erui posset, ex traditione divina
 certo dimanare censendum erit. Primo quidem casu, ubi continere-
 tur quidem in scriptura illud dogma, sed non satis evidentem & neces-
 sario, traditio erit declarativa. In secundo casu, ubi vel plane non
 continetur in scriptura vel saltem solido argumento inde erui nequit,
 erit traditio oralis. Ratio regulæ hujus manifesta est: impossibile
 enim est, omnes Christianos tam in Oriente, quam in Occidente
 constanter in errorem quandam conspirasse, & dogma aliquod ut
 revelatum credidisse, quod revera tale non fuisset. Hoc inauditum
 est, & fortius pro nullo facto testimonium adlegari potest. (d)*

§. VI.

(c) Hunc locum Vincentii summis laudibus extollunt ipsi Protestantes Gro-
 tius & Caveus Anglus.

(d) Obmovet hic Basnage lib. cit., laborem esse Herculeum, inquirere ac in-
 venire, quæ ubique, quæ semper & ab omnibus credita fuerint. Quanta
 linguarum peritia, quanta diligentia in legendo, quantum acuminis in in-
 telligendo ad hunc consensum erit opus? Equidem non diffitemur maximum
 hoc negotii opus esse: at illud omnino esse impossibile, aut quod humana
 diligentia, ductante Numine supremo adjuncta superari nequeat, id est, quod
 negamus. An non antiquissima in hanc rem prostant monumenta, opera
 Patrum, libri liturgici, symbola fidei, decreta conciliorum? An non in ho-
 rum studium viri quovis seculo sanctissimi, non in uno, aut altero orbis
 angulo; neque apud unam aut plures, sed apud universas, quotquot ubi-
 que sunt, Christianas nationes, tam intra, quam extra generales Ecclesiæ

con-

§. VI.

Ut quid judicetur semper, ubique & ab omnibus creditum fuisse, non est necessarium, ut omnes omnino particulares Ecclesiæ mathematicæ vel physice convenient, sed sufficit moralis consensus Ecclesiarum, earumque inlustrium; unde si hæc conspirent in dogmate aliquo referendo, quod ex scriptura erui nequit, certissime tenendum est, illud ex traditione divina profluere. (e) Ratio est: quia Ecclesia vi promissionum divinarum semper debet esse conspicua, & ubique diffusa, nec unquam deficere potest; ergo si major & inlustrior pars Ecclesiæ aliquid teneat ut revelatum, id certo ut revelatum tenendum est, alias ipsa periret Ecclesiæ catholicitas. Et sane in naturalibus testimonium plurium & inlustrium hominum, quibus factum quoddam notum est, præfertur aliorum testimonio sic non qualificato; ergo a pari si Ecclesiæ excellentiores, antiquiores de facto traditionis testentur, earum testimonium indubitanter admittendum est, præsertim cum traditiones successive ab una Ecclesia in aliam propagatæ fuerint, adeoque nonnisi successu temporis potuerint fieri universales. Demum Protestantes communiter contra suos Syncretistas admittunt libros Deuterocanonicos: unde autem authenticam & divinitatem horum probabunt, nisi ex testimonio plurium & insigniorum Ecclesiarum? (f)

Caracter
II.

§. VII.

conventus incubuerunt? An non ex his facile erit Ecclesiæ, sensum suæ doctrinæ haurire?

(e) Eandem regulam tradit Bossuet in oper. posth. tom. 1. in epist. respons. ad Leibnizium.

(f) Quam hic tradidimus regulam, sumimus in sensu positivo: sed quid si in sensu negativo accipiatur, scilicet quando non habetur præpondium plurium Ecclesiarum, an tum censendum erit, traditionem quam quædam exhibent, non esse divinam? R. In hoc casu distinguendum esse inter traditionem scriptam, & mere-oralem, quæ in monumentis nequidem ecclesiasticis consignata est. Atque si de posteriori hæc sermo sit, omnino valet ar-

gu.

§. VII.

Caracter
III.

Unanimis sensus & praxis uniformis Ecclesiae IV. & V. Seculi, quin hujus praxeos sciatur initium ex institutione Ecclesiae aut Concilii, certum signum est, semper & ubique creditum fuisse ante Seculum IV. & V. ut revelatum, quod tum credebatur. Incredibile enim est Seculo IV. & V. universalem veteris Ecclesiae traditionem jam fuisse corruptam praesertim cum eo tempore Ecclesia fuerit piissima & doctissima, Concilia celebrata, & fidei communicatio per litteras formatae facta. Fingendum esset, providentiam Dei nullo modo consuluisse suae Ecclesiae, si jam aureis illis Seculis fides labefactata fuisset. (g)

§. VIII.

gumentum negativum: nullum enim aliud medium superest illam propagandi, quam testimonium vivum plurimum & illustrius Ecclesiarum. Si autem de traditione scripta id intelligatur, tum non sequitur: traditio haec in scriptis non est universalis apud majorem partem Ecclesiae, ergo non est divina. Nam superest adhuc aliud medium, qua traditio illa potuit propagari, scilicet instructio oralis, quae si re ipsa in pluribus Ecclesiis intervenerit, positivum hoc argumentum illo negativo non eliditur, praecipue cum plures rationes assignari possint, traditionem ejusmodi cur scriptores non adnotarent. Haec autem praecipue sunt, paucitas monumentorum ecclesiasticorum in primis Seculis, disciplina arcani, praxis & usus quotidianus quorundam dogmatum, quae non fuit necessarium, scriptis demandare, eoquod illorum memoria de die in diem refricaretur &c. Atque hinc colliges caute admodum utendum esse hac expressione, nihil esse certo divinum, si illud in antiquitate universaliter scriptum non fuerit. Atque hoc eo magis notandum, quod Catholici quidam Theologi traditionem divinam demonstrari haud posse credant, nisi eadem in monumentis scriptis exhibeatur, vid. Gazzaniga tom. II. de loc. Theol. pag. 705-6., qui incaute admodum contra Harduinum in hac re processit.

(g) Insignis usus hujus canonis est contra Protestantes & Socinianos quoad dogmata fundamentalia religionis scilicet Incarnationis, Trinitatis, invocationis Sanctorum, cultus reliquiarum, orationis pro defunctis &c.

§. VIII.

Quando universa Ecclesia servat aliquid, tanquam ad fidem, religionem ac mores pertinens, cujus institutio potestatem humanam excedit, quodque in S. litteris non invenitur, certo credendum est, illud ex traditione divina haberi. Ratio est: quia quidquid ad fidem aut religionem pertinens instituendum erat, quodque potestatem humanam superabat, id jam olim fuit institutum vel ab ipso Christo, vel ab ipsis Apostolis Spiritu S. inspirante. Post Apostolos enim Ecclesia novas revelationes ad res ejusmodi instituendas minime accepit. Itaque si id genus aliquid Ecclesia universa a primi Christiani nominis ævo servet, nec id tamen in Ss. litteris institutum reperiat, credendum necessario est, traditum illud fuisse vel ab ipso Christo Domino, vel ab Apostolis Spiritu S. revelante. Uniformis quippe hujusmodi consensus, praxis & consuetudo Ecclesie eo præsertim tempore, quo sanctitate, simplicitate, morumque integritate florebat, referenda est ad institutionem supremam. Fieri enim non potuit, ut disfusi per orbem Christiani, qui nullam habent inter se consiliorum societatem, qui non minus moribus, ingeniis, usibus, quam regionibus a se divaricantur; in iis tamen rebus, quæ ad religionem ejusque praxin & observantiam pertinent, idem omnino doceant, idem servent; nisi hoc acceperint ab uno eodemque Magistro, qui discipulos ac unius fidei suæ præcones per totum terrarum orbem miserit, iisdem ac paribus præceptis instructos, atque eadem universis adnunciare iussos.

Caracter
IV.

§. IX.

Doctrina, quam universa Ecclesia quovis seculo propugnavit, licet illam in particularibus Ecclesiis viguisse non constet, perpetuo tamen servata fuit in Ecclesiis præcipuis seu apostolicis, ex divina traditione manavit. (h) Nam dum servantur antiqua dogmata Ecclesiarum apostolicarum, quæ præcipuè habentur in Ecclesia universa,

Caracter
V.

H

nul-

(h) Desumpta est hæc regula ex S. Irenæo lib. III, c. 2, & 3. Vincent. Lirinens c. 2. conmonit.

nullatenus recedimus ab iis sensibus, quos Majores ac Patres nostros a Christo & Apostolis hausisse credimus; quarum adeo fidem & auctoritatem elevare non possunt nonnullæ Ecclesiæ particulares, minusque præcipuæ, tametsi apud eas similis doctrina sive nunquam, sive non ab initio reperiatur. (i).

§. X.

(i) Ad hanc regulam animadvertit Luyd lib. cit. §. VI. q. II., quod usus hujus regulæ soli nunc Ecclesiæ Rom. congruere possit, quia ejusmodi Ecclesiæ apostolicæ nunc fere interierint, earumque titulos gerant Episcopi vel nullum gregem habentes, vel in aliis Ecclesiis præsidentes. Sed hæc dicta duplicem quæstionem involvunt. 1. An traditio Ecclesiæ Rom. solitarie spectata possit in dissidio Ecclesiarum interveniente argumentum utile & pragmaticum constituere? 2. Utrum in conflictu Pontificem inter & Concilium Episcopi a traditione Ecclesiæ Rom. cum tota reliqua Ecclesia recedere possint? Quod primum adinet: subponitur in hac quæstione, quod Ecclesia Rom. habeat traditionem solitariam; hoc autem adstrui nequit. Traditiones enim divinæ juxta §. II. part. II. in universam Ecclesiam fuerunt propagatæ, & in tota Ecclesia custoditæ. Et sane non solum Petrus, sed reliqui etiam Apostoli Ecclesiis a se fundatis depositum traditionum divinarum reliquerunt; unde deberemus fingere, eorum successores pastoralis officio defuisse, non propagando has traditiones in communem Ecclesiæ utilitatem. Hoc autem absurdum videtur. Hinc in Cc. ante factam decisionem non tantum ad traditionem Ecclesiæ Rom., sed aliarum etiam Ecclesiarum respiciebatur. Nullam igitur traditionem divinam solitariam hodie habet Ecclesia Rom., quam non etiam habeant cæteræ Ecclesiæ. Unde Rom. Pontifices maximam semper in eo conlocarunt operam, ut has traditiones ubique propagarent. Ipse Innocentius I. in epist. ad Decent. auctoritatem Ecclesiæ Rom. potissimum fundat in eo, quod a Rom. Ecclesia traditiones divinæ devenerint. Quod secundam quæstionem spectat, alii Hypothesi negant, alii, qui superioritatem concilii supra Papam defendunt, admittunt Hypothesi putant standum esse ex parte omnium Episcoporum, quia alias Ecclesia desineret esse catholica: alii, qui infallibilitatem Pontificis tueantur, prioribus reluctantur. Videmus ergo hanc rem admodum esse controversam, nec in tanto dissentientium numero certi quid statui posse. Hoc unum hic adverto, data etiam Rom. Ecclesiæ infallibilitate, nondum tamen sequi, Pontificem errori non esse obnoxium. Restaret enim adhuc probandum, romanum Pontificem traditionem suæ Ecclesiæ relinquere non posse.

§. X.

Quidquid Ecclesia, vel in Concilio universali definit tanquam dogma fidei aut morum, aut etiam extra Concilium generale universaliter proficitur; id si ex scriptura vel plane non, vel saltem non sufficienter probari potest, est traditionis divinæ. Ratio est, quod articuli fidei non nisi revelatione divina nitantur, quam haurimus vel ex scriptura, vel ex traditione divina: novæ enim revelationes, uti sapius jam dictum fuit, ad condendos fidei articulos hodie non fiunt. Igitur, si dogma illud expressum non sit in sacris litteris, superest, ut non aliunde habeatur, quam per traditionem divinam.

Caracter
VI.

§. XI.


Consensus unanims Patrum quinque priorum seculorum, (k) de dogmate quodam in scriptura non contento, universaliter testantium,

Caracter
VII.

H 2

cer-

(k) *Dicimus quinque priorum seculorum:* nam necessarium non est, omnes atque omnium temporum Patres in doctrina quadam tradenda convenire. Sufficient corum consensus, qui ante Synodum V. œcumenicam vixerunt, nam illos ipsos eadem Synodus toti Ecclesiæ sequendos proposuit. Atque hoc fatetur ipse Franc. Budæus Protestans, qui in *Isagoge histor. Theol. ad Theologiam univers. part. poster. c. 3. §. 8.* refert, jam illo primorum quatuor seculorum ævo hunc morem apud Patres obtinuisse, ut quæcunque tanquam certa & inconcussa dogmata comprobare vellent, ad veteriorum semper Patrum testimonia provocarent; indeque paulatim natam esse adfirmat Theologiam patristicam. Neque ad eam consensionem requiritur, ut omnes illi prorsus idem dixerint, scripserintque nemine discordante: ejusmodi enim consensus non mathematice, sed moraliter accipiendus est. Cæterum quoniam præcise Patrum numerus sufficiat & requiratur, generaliter definiri nequit, ut semper contingit in iis, quæ moraliter æstimanda sunt, & prudentum judicio relinquuntur: Zallwein lib. cit. §. 4. discrimen facit inter traditiones, quarum aliquæ versantur circa dogma pure speculativum, quod nullam habet cum praxi externa connexionem; & illas, quæ spectant dogma practi-




*certum fundamentum præbet, judicandi dogma illud esse traditionis divi-
vinæ, licet sit summopere speculativum. Sunt enim Patres testes tra-
ditionis, quibus nec scientia deerat, nec animus dicendi verum,
ergo si conspirent in doctrina quadam ut revelata tradenda, hanc
ex traditione divina hausisse omnino tenendum. (1)*

§. XII.

præcticum, five conjunctum cum quadam Ecclesiæ praxi & observantia. Ad
dogma speculativum requirit contestationem, mutuumque complexum tes-
tium seu consensum unanimem Patrum ac Scriptorum ecclesiasticorum, alio-
quin, inquit: „ Non haberemus certitudinem tantam, quanta ad traditio-
nem seu divinam seu apostolicam requiritur, nempe petatum ex univer-
sali testimonio omnium Ecclesiarum, cui nihil prudenter obponi possit:
occur enim testibus quibusdam, utut omni exceptione majoribus, in
dogmate fidei absolutam adhibeamus fidem, nisi illorum infallibilitas ex
aliis argumentis evidenter sit demonstrata. &c. „ Ad dogma vero præcticum
pauciorum testimonium sufficere adfirmat. „ Sufficit enim, ait, testimonium
quorundam testium, omni exceptione majorum, si modo testentur de uni-
versitate doctrinæ; tum quod summa olim fuerit omnium Ecclesiarum
communicatio, modo paulo ante dicto, & eo ipso de praxi & dogmate
præctico multum scribere Patres duxerint non esse necessarium; tum quod
contra hos testes, numero pauciores nulla fieri possit prudens exceptio:
quis enim sibi persuadeat, quod hi viri, inspectante tota Ecclesia, praxi
in aliquam communem jactare, Ecclesiæ obtrudere, illi illudere, seque
iplos irrisioni, contemptui, ac periculo detegendæ imposturæ suæ exponere
ausi fuerint? „ Præclare in hanc rem disserit Card. Perronius in respon-
sione ad Regem Angliæ, ubi ait: „ Tunc unanimes consensus Patrum cumulate
probatum æstimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in ali-
cujus rei assertionem consentiunt: ita, ut inter illos nemo, qui semper
orthodoxus, semper orthodoxis adhæsit, dissentiat.

(1) Sed quando Patres loquuntur de dogmatis revelatis? quænum sunt indi-
cia, quibus certo judicari potest, Patres hausisse ex traditione divina? Ca-
racteres sat claros exhibet Natalis dissert. cit. §. XXII., quos hic recense-
re, non incongruum erit. Itaque loquuntur Patres de veritatibus fidei. 1. Si
contrarium habuerint ut hæreticum. 2. Si adhibeant verba professionem
fidei exprimentia v. g. credimus, confitemur, Christus dixit vel jussit, Apo-
stoli tradiderunt, credit vel tenet Ecclesia. 3. Si in catechesibus & sermo-
ni-



§. XII.

Siquid uniuersa seruat Ecclesia, quod in ea omnibus retro temporibus seruatnm fuisse comperitur, institutio autem ejus auctoritatem

Character
VIII.

H 3

hu-

nibus ad Cathecumenos vel ad Neophytos hæc adseruerint Patres, hæcque illis inculcaverint ut credenda. Non enim probabiles opiniones tum edocere satagebant, sed fidei dogmata, quibus informari Christianum, illaque credere ad consequendam salutem æternam, necessarium est. 4. Si ut primum impugnata sunt illa dogmata, & in controversiam vocari cepta Episcopi & Concilia ut hæreticos damnauerint, qui contrarium senserunt, docuerunt, prædicauerunt. Hoc enim indicium est, illa fuisse a Patribus proposita & propugnata ut capita fidei. Exempla habemus de invocatione Sanctorum, veneratione imaginum &c. Sed quid si hæc signa non concurrant, si Patres absque ejusmodi formulis doctrinam quandam simpliciter referant, aut scripturæ textum interpretentur? an eorum consensus eundem habebit gradum certitudinis at auctoritatis? An contrarium sentiens erit hæreticus & quidem in facie Ecclesiæ? Hic dissentiunt Theologi: alii ut hæreticum habent, qui ejusmodi Patrum consensui reluctatur. Atque hi nituntur argue, quod Ecclesia indistincte, siue loquantur cum certis formulis, siue non, Patrum consensum in rebus fidei proposuerit, vid. Trid. sess. 4. decreto de editione & usu sacror. libror. 2. Adstruunt, si hoc criterium statuatur plura dogmata probari non posse, cum Patres in illis referendis ejusmodi formulis non usi fuerint. 3. Mirum esse Patres diversæ indolis, studii, temporis & locorum in aliqua doctrina convenire, nisi ex eodem fonte scilicet traditione divina hauserint illam. Alii temerarium & erroneum quidem illum censent, qui a tali PP. consensu recederet, non autem hæreticum, eo quod nondum adsit ea certitudo, quæ requiritur ad fidem supernaturalem ingerendam. Hinc respondent ad 1. Ecclesiam quidem indistincte proposuisse Patrum consensum unanimum sequendum, sed non sub nota hæreseos; hinc Tridentinum ipsum in suo decreto omisisse anathema, ut ostenderet, hoc decretum non tantum apertos hæreticos ferire, sed etiam petulantia & temeraria ingenia. Probe enim Tridentinum ibi distinguit inter sensum Ecclesiæ, quæ scripturam interpretatur, & inter sensum Patrum. Si autem ejusdem auctoritatis fuisset sensus Patrum & Ecclesiæ non opus fuisset hæc distinguere, Qui ergo sensui Ecclesiæ repugnat in interpretatione scripturæ,

hæ-

humanam non excedat, si origo ejus deprehendi non possit, merito creditur ab Apostolis fuisse institutum; si vero sursum ascendentes, & originem illius inquirentes, inveniamus, non est nisi traditio humana ecclesiastica. Prima hujus regulæ pars constat ex Augusti lib. 2. de baptis. contra Donatist. cap. 7. „ Quod universa tenet Ecclesia, nec „ conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate „ apostolica traditum rectissime creditur. „ Altera hujus regulæ pars cuilibet manifesta est, eo quod per multa, præsertim, quæ disciplinam, ritus & mores spectant, ab Ecclesiis hucusque fuerint constituta.

§. XIII.

hæreticus est, temerarius autem & erroneus, qui sensui Patrum unanimiter scripturæ textum explicantium repugnat. vid. Ripalda tom. III. de ente supernaturali pag. 18. Ad 2. dicunt, aliud esse, unanimum Patrum consensum definiendis ab Ecclesia dogmatis fundamentum præbere, & aliud, hunc consensum ipsis Ecclesiæ definitionibus æquiparari posse. Quod discrimen attendisse videtur Clemens in Clement. un. de sum. Trinit. dicens: „ Nos ad Ss. Patrum & Doctorum communem sententiam apostolicæ confirmationis aciem convertentes, sacro adprobante Concilio, declaramus. &c. „ Licet ergo argumentum decretorium omnino ex Patribus, si ejusmodi notæ non concurrant, pro fide divina deduci nequeat, posse tamen erui argumentum sat validum, quod spernere temerarium foret. Addunt, Patres esse tantum unicum fontem traditionis adeoque hoc deficiente vel non satis claro alios in subsidium vocandos esse. Ad 3. fatentur quidem hoc argumentum probare, temerarium & impium fore illum, qui PP. consensionem in hoc casu relinqueret, hæreticum autem fore & quidem in facie Ecclesiæ negant inde sequi. Proprie enim hæreticus non est, nisi qui veritati revelatæ, sufficienter ab Ecclesia propositæ reluctatur, quod in prædicta hypothese, ubi consensus Patrum de fide Ecclesiæ mentionem non facit, obtinere, adstrui haud potest. Atque hæc notissima quaestio est, quæ clarissimas universitates in causa Isenbiehlii omnibus manifesta concludit. Universitas Argentinensis, Trevirensis sententiam ejus hæreticam declararunt. Heidelbergenfis contra, Moguntina &c. eam temerariam & erroneam notarunt. Ab his facultas Parisiensis in eo differt, quod præter notas adlatas Isenbiehlii sententiam simul verbo Dei contrariam adstruat. Tota hæc discrepantia in discrepante de Patribus sententia fundatur; unde colliges, cum ipsi Theologi spectante Ecclesia de hac re adhucdum disputent, fidem saltim universaliter obligantem inde nondum sequi, quidquid sit de uno alterove privato theologo.

§. XIII.

Absolvimus nunc materiam de existentia & certitudine traditionum divinarum: superest adhuc quædam Corollaria, quæ practicam utilitatem habent, ex hucusque dictis deducere:

Corollaria
ex hucus-
que dictis
deducun-
tur.

Coroll. I. *Traditionibus divinis, de quarum existentia per characteres hucusque adlatos constat, adensus fidei divinæ sicut scripturæ debetur, i. e. objectum in illis contentum credi debet ob sapientiam & veracitatem Dei, sicut ea, quæ in sacris paginis continentur.* Ratio manifesta est; sunt enim traditiones divinæ reapse verbum Dei, hoc autem sive scriptum sit, sive non, pari semper pietatis adfectu & reverentia dignum est. Nam ad vim obligandi nihil refert, utrum is, quis potestatem habet obligandi, scripto an viva voce suam declaret voluntatem, parumque interest, unde sciamus voluntatem divinam, dummodo illam sciamus. Motivum enim credendi non est littera, sed auctoritas loquentis. (m)

Coroll. II. *Traditiones divinæ, de quibus nobis certo constat, sunt norma fidei.* Orales quidem animata; (n) scriptæ vero inanimata (o) Ratio est eadem quæ prioris.

Co-

(m) Habet tamen scriptura certa quadam ratione suam prærogativam præ traditione divina. Nam scriptura nobis communicatur per libros divinitus inspiratos, non autem traditio divina; licet hæc nobis infallibiliter adplicetur per testimonium infallibile Ecclesiæ.

(n) Traditio oralis late talis, quæ scilicet etiam comprehendit ea, quæ in libris canonicis sunt consignata, est regula totalis. Si vero sumatur stricte & prout transmittit ea, quæ non habentur in Ss. paginis est tantum regula partialis sicut & traditio scripta. Non tamen traditio oralis a scripta ita dependet, ut absque illa probari nequeat, sicuti adstruit Neller lib. cit. cap. II. XIV. n. 3. Nam si adsit universalis Ecclesiæ consensus in dogma, tum certe admitti debet traditio oralis, etiam si ex scriptis Patrum & monumentis Conciliorum non constet. Ecclesia enim novas revelationes non accipit,
ut

Coroll. III. *Traditio certo & continuo in Ecclesia universa propagata, medium aptissimum est, revelationem divinam nobis adplicandi.*

(p) Est enim medium certum, sensibile, omnibus proportionatum, a Christo ipso & Apostolis commendatum. Demum nemo magis ducitur, quam via auctoritatis. (q)

Co-

ut ipse Nellerus fatetur, ergo si ejusmodi dogma non habeat fundamentum in traditione scripta, illud in traditione orali latere necesse est.

(o) Fatendum tamen hic, traditionem scriptam esse medium maximæ hominum parti improportionatum, de deposito revelationis judicandi. Fundatur enim in monumentis PP. & Cc.: authentia igitur horum & auctoritas testium est inquirenda, ad quod denuo varia præquiruntur, notitia linguarum, conlatio exemplarium, studium critices &c. Quis autem non videt, maximam partem hominum huic negotio esse imparem? Hoc tamen non obstantia clarior est traditio scripta claritate absoluta, quam scriptura; cum fufius, clarius & distinctius dogmata fidei exponat. Hinc multum utilitatis habet ad fidem Christianis firmiorem reddendam, ad acuendos eruditorum animos, & ad hæreticos feliciter refutandos.



(p) Circa traditionem tamen, si nondum sit authentifata per sensum vel decretum Ecclesiæ, innocue errari potest. Traditio enim scripta non est semper clara, requirit varias discussiones, præsertim si controversia moveatur de sensu Ss. Patrum, adeoque per ignorantiam & defectum criseos hic peccari potest. In traditione orali autem nonnunquam contingere potest, ut uni vel alteri non constet, quid universalis Ecclesia teneat ut revelatum. Sic Cyprianus despexit traditionem Stephani, eamque scripturæ contrariam putavit. Ipsi scilicet nondum constitit, de sensu aliarum Ecclesiarum, & propterea ab ipso Augustino excusatur. Ratio autem cur uni vel alteri Ecclesiæ particulari aliquando non constet de traditione, sæpius est negligentia aut malitia pastorum præcedentium, qui de aliarum Ecclesiarum fide parum solliciti novam invehunt traditionem.

(q) Potest tamen scriptura dici hoc sensu perfecta. 1. Quod contineat omnia dogmata ordinarie omnibus explicite credenda. *Dixi ordinarie* scilicet pro usu communi Christianorum, non autem pro circumstantiis specialibus, sic v. g. in susceptione matrimonii fideles scire debent, quod sit Sacramentum, & hoc explicite credere debent. 2. Quod saltem implicite mediate inducat in cognitionem omnium dogmatum saltem omnibus necessariorum 3. Quod
fidei

Coroll. IV. *Scriptura igitur non est perfecta in sensu Protestantium.* Non enim per se sufficit ad omnia dogmata fidei & præcepta morum Ecclesiæ vel necessaria vel utilia solide comprobanda. Plura enim dogmata plane non continet, plura nonnisi obscure memorat, unde traditione tam declarativa, quam orali opus est. Adæquata igitur regula fidei est scriptura cum traditione divina conjuncta, quam si Protestantes admitterent, omnes cæteræ controversiæ nos inter & ipsos mox cessarent.

fidei & morum dogmata complectatur eo numero & gradu claritatis, qui respondet fini, quem Deus cum scriptura intendebat. Deum autem non hunc finem intendisse, ut omnia dogmata argumento evidenti, & moraliter certe inde erui possent, tota hæc materia de traditionibus divinis ostendit.






POSITIONES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA.

§. I.

*De existentia Dei, & religionis tam naturalis,
quam supernaturalis.*

1. **E**xistit Deus ens omni genere perfectionis præditum, quod omnia produxit, conservat, ac prudentissime gubernat. 2. Ab hoc ente cum homines dependeant, certa quædam officia ipsi exhibere tenentur. 3. Hinc fuit religio naturalis, cujus geminæ sunt partes, cultus tam internus, quam externus. 4. Criteria, quæ habemus naturalia ad maxime necessaria religionis naturalis principia certo cognoscenda, in hoc rerum statu vix millesimæ humani generis parti sufficiunt. 5. Ad hoc igitur ut homines univèrse notitiam sufficientem religionis naturalis adquirant, moraliter necessaria est revelatio divina. 6. Revelatio tum prout est uberior legis naturalis explicatio, tum prout continet mysteria rationi nostræ impervia possibilis est, & generi humano valde proficua. 7. Revelationem esse factam probant testimonia omni exceptione majora. 8. Cum proponitur religio revelata, illicitum est ac stultum, se indifferentem exhibere, necessarioque expendendum est, utrum sit vera vel non. 9. Hæc tamen inquisitio fieri debet facta & momenta extrinseca scrutando, non ratiocinia intrinseca conligendo, ut volunt Theistæ.

§. II.



§. II.


De Characteribus Religionis revelatæ.

1. Characteres alii sunt negativi, alii positivi. 2. Negativi sunt: religio revelata non repugnet sanæ rationi, aut religioni alteri jam revelatæ. a) Promoveat gloriam Dei & veram hominum felicitatem. b) Adnuntietur per viros virtute & pietate conspicuos. 3. Positivi sunt miracula & vaticinia, quæ possibilis sunt, & quorum posteriora solum Deum auctorem habere possunt. 4. Sive demon ex permisso divino miracula patrare possit, sive non, certum tamen est, quod malignus Spiritus integras passim gentes & probos etiam homines cum abusu divini nominis per prætensa miracula ita decipere nequeat, ut fraudis detegendæ remedium moraliter non sit possibile. 5. Miracula & vaticinia summam vim habent ad divinitatem religionis, in cujus gratiam fiunt, comprobendam. 6. Falsa igitur Pagana & Mahumetana religio, in doctrinis absurda & hisce characteribus destituta. 7. Certum est, miracula Mosis & Jesu Christi, subposito, quod vere, ut Ss. paginæ testantur, fuerint patrata, fuisse naturæ viribus altiora, nec ullis præstigiis demonum obnoxia: idem etiam adferendum de Prophetiis V. & N. testamenti. 8. Utraque, miracula scilicet & vaticinia, a Mose & Christo edita fuere pro demonstranda missione divina & religione per illos a Deo revelata.

§. III.

De Religione Mosaica.

1. Moses scripsit Pentateuchum, & quidem eo tempore quo refertur eum scripsisse. 2. Idem in miraculis, quæ narrat & cæteris rebus gestis decipere non potuit, nec voluit. 3. Pentateuchus in rei substantia non fuit adulteratus, nec miracula, nec alia facta ei fuerunt superaddita, sed genuine ad nos usque pervenit. 4. Pentateuchus igitur est liber genuinus, verax & authenticus. 5. Hinc



fuit veram & divinam fuisse religionem Mosaicam, veris miraculis & prophetiis conprobatam. 6. Eadem tamen non perpetuo erat duratura, sed quoad leges ceremoniales & judiciales per Messiam futurum abroganda. 7. Messiam illum jam dudum advenisse, vaticinia V. T. demonstrant. 8. Hunc esse Jesum Christum a Judæis cruci adfixum, tum characteres in prædictis vaticiniis delineati, tum eventus ipse ostendit.

§. IV.


De Religione Christiana.

I. Ecclesiæ ab Apostolis, eorumque discipulis primitus fundatæ unanimi consensu jam primo sæculo æræ christianæ pro authenticis receperunt quatuor Evangelia. 2. Constans in sæculo secundo Ecclesiæ christianæ traditio tenebat, tria prima Evangelia S. Matthæi, S. Marci, & S. Lucæ, vivis adhucdum Apostolis Petro & Paulo, atque adeo ante ruinam urbis solimæ scripta fuisse, & ab iis probata. 3. Libri igitur Evangeliorum ab authoribus contaneis & quidem ab iis, quorum nomina præferunt conscripta fuerunt. 4. Apostoli nec fuerunt decepti, nec voluerunt, imo nec potuerunt decipere in miraculis, & cæteris rebus gestis referendis. 5. Libri Evangelii in rei substantia non sunt adulterati. 6. Igitur sunt genuini, veraces, & authentici. 7. Religio itaque Christiana est divina, ceteris veris miraculis & vaticiniis munita. 8. Eandem divinitatem luculentius adhuc conprobant, doctrinæ sanctitas, & excellentia, resurrectio Christi a mortuis, velox & rapida ejus propagatio, constantia martyrum & oraculorum silentium.

§. V.

De vera Christi Ecclesia ejusque notis.

I. Societates christianæ, quæ profitentur dogmata dogmatis veræ Christi Ecclesiæ obposita, veræ esse non possunt. 2. Hinc inquirendum, quænam sit vera Christi Ecclesia. 3. Hoc fit mediantibus.




bus notis, quæ vera Ecclesia ab omni falsa secernitur. 4. Hæ sunt unitas fidei, caritatis, regiminis, a) sanctitas doctrinæ, b) catholicitas seu universalis & permanens per totum orbem diffusio & apostolicitas seu continua pastorum ab Apostolis successio & legitima missio. 5. His notis simul sumptis cum careat religio quæcunque alia christiana, patet solam Ecclesiam catholicam esse veram Christi Ecclesiam.

§. VI.

De Authoritate Ecclesiæ.

1. Ecclesia est societas visibilis tam in membris, quam in capite, & quidem perpetuo, ita ut nunquam deficiat. 2. Judex ergo in ea esse debet, qui controversias fidei & morum nascentes decidat. 3. Hunc frustra quærunt Sociniani in sola ratione statuere. 4. Neque inspiratio privata medium aptum est, ad istas controversias decidendas. 5. Nec scriptura tali officio fungi potest. 6. Non enim est maximæ parti hominum, imo nequidem doctioribus medium proportionatum. 7. Nam in articulis necessariis non est clara respectu omnium ut volunt Lutherani, neque respectu regentorum ut defendunt Calvinistæ. 8. Demum scriptura non continet omnes veritates revelatas, sed præter eam admittendæ sunt traditiones divinæ dogmaticæ tam declarativæ, quam mere orales, de quarum existentia sufficienti cum certitudine nobis constare potest. 9. Judex ergo talis auctoritas viva Ecclesiæ est. 10. Ecclesia dispersa errare non potest in rebus fidei & morum sive fundamentalibus, sive non fundamentalibus: idem de judicio romani Pontificis, cui major Episcoporum pars adhæret, omnino tenendum est. 11. Hæc inerrantia pariter competit Concilio, quod universam repræsentat Ecclesiam, aut ab universali Ecclesia est receptum. 12. Nec Pontifex dissentiente Concilio, nec Concilium dissentiente Papa (excepto casu schismatis) formalem fidei regulam constituit, sed requiritur consensus capitis cum corpore. 13. Sicut Ecclesia non in fide, sic nec in factis cum fide essentialiter connexis errare potest. 14. Huc referenda non sunt facta mere historica, personalia, beati-




ficatio & cánonisatio Sanctorum, adprobatio ordinum religiosorum, præscriptio librorum hæreticorum; quamvis iudicio tali obsequium tam inquam externum exhibendum agnoscamus. 15. Bene tamen huc spectat iudicium de authentia vulgatæ, & Canone librorum N. & V. testamenti in Concilio Trid. latum. 16. Universalis, constans & uniformis Patrum consensus in dogma fidei, certum veritatis revelatæ argumentum præbet, imo quandoque infallibile.

§. VII.

De Regimine Ecclesiæ.

1. Christus potestatem spiritualement regendi Ecclesiam solis dedit Apostolis, eorumque successoribus. 2. Ea potestas est legislativa, iudiciaria, coactiva. 3. Ecclesia ergo est societas moraliter inæqualis. 4. Petro conlatus fuit primatus honoris, & iurisdictionis. 5. Utraque prærogativa gaudet romanus Pontifex legitimus Petri successor. 6. Jura Pontifici vi primatus competentia alia sunt primigenia & essentialia; quæ indivise primatui adhærent, & sine quibus unitas in Ecclesia servari nequit, alia accidentalia & recenter adquisita. 7. Essentialia sunt: suprema & generalis omnium Ecclesiarum cura, sollicitudo & superintendentia, ut fides servetur ubique integra a) custodia atque vindicta sacrorum Canonum cum potestate eorum infractores pœnis spiritualibus cœcendi, b) Iudicium provisorium, in rebus fidei & morum, cui omnes obedire tenentur, exhibendo obsequium tam inquam externum, c) Si autem hac via controversiæ finiri non possunt, jus habet ordinarium convocandi Concilia œcumenica, iisque præsidendi. * 8. Jura alia, quæ hodie Pontifici reservata sunt, & causæ etiam majores dicuntur, sunt recenter adquisita: v. g. confirmatio, consecratio Episcoporum &c. Canonisatio Sanctorum, adprobatio ordinum religiosorum, jus ad-
pel-

* De jure confirmandi Concilia œcumenica insigniter disputatur. Galli id solum Ecclesiæ universali tribuunt, Itali soli Pontifici. Inter Germanos sunt qui Gallis, & sunt qui Italis accedunt.



pellationum &c. 9. Episcopi sunt Conlegislatores in Ecclesia, eorumque potestas regendi & gubernandi gregem sibi commissum immediate a Deo provenit. 10. Leges igitur universales mere humanas & ecclesiasticas, per se variabilis disciplinæ Rom. Pontifex pro nutu & arbitrio, sine consensu quodam generali Episcoporum expresso vel tacito, solus cum efficaci obligatione ferre non potest. 11. Jurisdictio immediata ordinaria Pontificis in subditos Episcoporum, nec ex scriptura, nec ex traditione primorum Ecclesiæ seculorum, ostendi potest. 12. Regimen igitur Ecclesiæ non est pure Monarchicum, sed Aristocratia temperatum.

§. VIII.


De Misterio Ss. Trinitatis.

1. Deus sicut in personis trinus, sic in essentia unus est. 2. Trinitas autem non est nominetenus, aut inani dictionis specie, sed subsistendi ratione: ut enim Pater est vera persona, ita Verbum & Spiritus S. personæ sunt, & vere subsistunt. 3. Quamvis autem alia sit persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. trium tamen una est divinitas, æqualis gloria, & cœterna majestas. 4. Pater a nullo factus est, nec creatus, nec genitus. 5. Filius a Patre solo est, nec creatus, nec factus, sed genitus. 6. Spiritus S. a Patre & Filio est, nec factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. 7. Igitur, & filius Deus, & Spiritus S. Deus, uterque Deo Patri consubstantialis.

§. IX.

De Incarnatione & Reparatione Generis humani.

1. Homo justissimam Dei legem transgrediendo, mortis & temporalis, & aternæ pœnam sibi conscivit, labe originali, non imitatione sed propagatione in omnes, (excepta B. V. M.) permeante. 2. Perierat itaque totum genus humanum, verumtamen ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, sic nempe Deus dilexit mundum,



dum, ut filium suum unigenitum daret, deleturum, quod adversus nos erat, chyrographum mortis. 3. Hic conceptus de Spiritu S., natus ex Maria semper Virgine divinam humanamque naturam in una hypostasi divina conjunxit. 4. Una ergo in Christo est persona, & duæ naturæ perfectæ & inconfusæ. 5. Duæ igitur voluntates & operationes. 6. Inde vera oritur in Christo communicatio idiomatum, non tamen in sensu Ubiquitarum. 7. Passus est Christus pro salute omnium, vere & proprie justitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfaciens, quod quidem satisfactionis pretium crucis præsertim sacrificio persolvit, sacerdos idem & victima.

§. X.


De Gratia & Prædestinatione.

1. Admittenda est gratia interna, quæ intellectum inlustrat, & voluntatem ad bonum inclinat. 2. Hæc non modo ad initium fidei & boni operis, sed etiam ad ad sensum veritatibus supernaturalibus dandum necessaria est. 3. Prima gratia a Deo non datur ob præcedens meritum, & homo puris naturæ viribus se nequit ad gratiam recipiendam positive disponere. 4. Gratia efficax nemini necessitatem infert. 5. Existentiam gratiæ vere & relative saltim mediate sufficientis, fides docet. 6. Hanc Deus nemini in hac mortali vita denegat. 7. Vult enim vere & sincere omnium omnino hominum salutem æternam. 8. Propria tamen sua culpa multi pereunt, quorum reprobatio non fit ex mero beneplacito divino ad ostendendam justitiam, sed post demerita prævisa. 9. Datur igitur reprobatio, datur & prædestinatio. 10. Utraque licet sit invariabilis quoad numerum & personas, nemini tamen necessitatem imponit.

§. XI.

De Justificatione & merito Hominis.

1. Homo gratia divina actuali donatus non tantum se habet mere passive, sed active & libere cooperatur gratiæ adsentiendo & sic




fic verè se disponere potest ad justificationem. 2. Inter dispositiones ad justificationem, fides quidem est fundamentum, sed sola absque aliis bonis operibus non sufficit. 4. Fides, quatenus positive justificat, non habet pro objecto solam promissionem misericordiae divinae de peccatis remittendis per Christum, quamvis hæc sit objectum primum. 5. Nec fides illa est vava fiducia, qua quis confidit sibi per Christum remissa esse peccata. 6. Sed fides, quatenus est radix justificationis, est adensus firmissimus omnibus veritatibus revelatis præstitus. 7. Justitia nostra non consistit in justitia extrinsecus imputata, sed in interiori renovatione & sanctificatione hominis per gratiam divinam inhærentem. 8. Hinc peccata vere delentur in se quoad maculam & reatum quoque in actu primo & non tantum in relatione ad Deum. 9. De justificatione accepta nemo, seclusa speciali revelatione, potest esse certus certitudine fidei, cui falsum subesse nequit. 10. Nec vera justitia semel accepta inamissibilis est quoad effectum. 11. Homo justificatus per opera salutaria vere meretur augmentum gratiæ & gloriæ.

§ XII.

De Sacramentis.

1. Septem sunt novæ legis Sacramenta, nec plura nec pauciora. Baptismus scilicet, confirmatio &c. 2. Horum effectus non tantum consistit in eo, quod fidelem ab infideli distinguant, fidem excitent, promissiones divinas obsignent, sed quod in subjecto rite disposito gratiam justificantem ex opere operato producant. 3. Baptismus, ordo & confirmatio indelebilem suscipientibus imprimunt characterem, unde iterari non possunt. 4. Christiani omnes quælibet Sacramenta administrandi & conficiendi non habent potestatem. 5. Ad valorem Sacramenti neque fides neque probitas ministri requiritur, sed tantum adhibitio materiæ & formæ cum intentione saltim faciendi id, quod facit Ecclesia. 6. Baptismus omnibus etiam infantibus de communi & ordinaria Dei providentia est necessarius necessitate mediæ ad salutem, imo adultis insuper necessitate præcepti. 7. Hujus defectum subplet martyrium aut votum Bap-



tismi. 8. Confirmationis minister ordinarius est solus Episcopus. 9. Christus in Eucharistiæ Sacramento vere & realiter præsens est. 10. Usus calicis non est omnibus & singulis necessarius. 11. In missa offertur Deo verum & proprium sacrificium, idque non laudis duntaxat & gratiarum actionis, sed vere propitiatorium. 12. Ministri pœnitentiæ non solum declarant remissa esse peccata, sed vere & proprie potestate clavium illa remittunt. 13. Confessio omnium omnino peccatorum post Baptisma commissorum a Christo instituta & præcepta est. 14. Remissa per pœnitentiæ Sacramentum culpa & pœna æterna non semper quoque deletur pœna temporalis. 15. Ministri extremæ unctionis non sunt seniores ex quavis communitate, sed præbyteri Ecclesiæ speciali potestate ad id officium exercendum a Christo donati. 16. Est in Ecclesia hierarchia divina ordinatione instituta, quæ constat Episcopis, præbyteris, ministris. 17. Episcopi potestate tum ordinis tum jurisdictionis præbyteris simplicibus sunt superiores. 18. Matrimonium consummatum quoad vinculum dissolvi non potest nisi post mortem, in casu etiam adulterii.

§. XIII.

De Actibus humanis & Peccatis.

1. Ad actum humanum requiritur advertentia & deliberatio. 2. Libertas quoque indifferentiæ non solum a coactione, sed etiam necessitate sive absoluta, sive relativa, quam in hoc statu naturæ lapsæ dari fides docet. 3. Hinc motus concupiscentiæ primoprimum veram peccati rationem non habent. 4. Dantur peccata venialia & mortalia. 5. Diferimen horum non est desumendum ex eo, quod prædestinatis omnia peccata sint venialia, & reprobis omnia mortalia, ut volunt Calvinistæ, nec ab eo, quod omnia peccata voluntaria sint mortalia, & venialia sint involuntaria in credentibus tantum, ut Lutherani admittunt. 6. Sed ex natura rei, sive id proveniat ex levitate intrinsicæ actus, sive ex misericordia Dei, nolentis quosdam actus graviter præcipere aut prohibere.

§. XIV.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	R	G	B					W	G	K					Y	C	M		

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19